




**Exegesis perspicua et ferme integra controversiae de Sacra  
Coena, scripta vt priuatim conscientias piorum erudiat &  
subiecta iudicio sociorum confessionis Augustanae,  
quicunque candidè & sine prauis affectibus iudicaturi sunt.**

<https://hdl.handle.net/1874/425006>



**Dit boek hoort bij de Collectie Van Buchell  
Huybert van Buchell (1513-1599)**

Meer informatie over de collectie is beschikbaar op:  
<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>

Wegens onderzoek aan deze collectie is bij deze boeken ook de volledige buitenkant gescand. De hierna volgende scans zijn in volgorde waarop ze getoond worden:

- de rug van het boek
  - de kopsnede
  - de frontsnede
  - de staartsnede
  - het achterplat

**This book is part of the Van Buchell Collection  
Huybert van Buchell (1513-1599)**


More information on this collection is available at:  
<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>

Due to research concerning this collection the outside of these books has been scanned in full. The following scans are, in order of appearance:

- the spine
- the head edge
- the fore edge
- the bottom edge
- the back board

E. H. E.


287



THE  
CATHOLIC  
CHURCH

286.


N R 2





71a fol 22v  
207

finire ut nemo quod est. ut habeat  
mensurabit totam recte in equi  
transibit. quod si finitum est ipsos  
**Q**uoniam vero in infinito tempore  
transibit quod est. b. manus est a  
accipiatur in etiam finitum quod  
genitum in minori transibit per  
hunc enim est finitum esse futurum  
finitum. **L**e ad autem demonstrabit  
et in longitudo infinita ut ipsos  
**G**aut finitum manifestetur per  
dictis est. quod nec linea nec punc-  
tum. ne ova. quinque vel nullum erat  
erat aliquid. non solum propter quod  
nunc distinxi. sed quod accidit at  
tempore mundi. Omnes enim omnia que  
velotius. velotius autem plus  
transibit in equi tempore. regnat  
enim duplicitate et emulacione  
transire longitudinem. sicut enim

transitorum.  
quod nichil quod  
improbabile.  
quod non secundum e-  
dem motus ille  
mecum est. ut sit  
scimus autem  
utrum futurum  
scimus est. ut  
est finitum.  
utrumque quod  
nihil est. quod non  
potest esse. utrum  
utramque ten-  
et. utrumque qui  
tenet. propter id que  
tibilibus. **E**st. inter  
quoniam est  
medio tempore.







N. 12. C.

EXEGESIS  
PER SPI-  
CVA ET FERME  
INTEGRA CONTRO-  
VERSIAE DE SACRA COENA,  
scripta ut priuatim conscientias pio-  
rum erudiat, & subiecta iudicio socio-  
rum confessionis Augustanæ, quicun-  
que candidè & sine prauis affe-  
ctibus iudicatu-  
ri sunt.

AVTORE  
IOACHIMO CUREO Freistadiano.

EIVSDEM AVTORIS  
SPONGIA exigua & mollis, comparata  
adeluendos colores, quos ille uit controuersia de  
Sacra Cœna D. Paulus Eberus, Pastor  
Ecclesiae Wittener-  
gensis.

Accesserunt præterea scripta aliquot D. Philippi  
Melanchthonis & aliorum de ea-  
dem controuersia.

HEIDELBERGÆ,  
• 875.



2125212

П Е Я З П И  
Г А В Т Т Е М Я Т  
О Л Т И О Г О Н Т И  
И Н Т И О Г О Н Т И  
А У Г А С Т А Г О Н Т И  
П О Р Т А Г О Н Т И  
З А Г А Г О Н Т И

анад  
загород

з а г о т у

2126212  
Е В А Т У / и 212712  
К А Н Г О Т  
з а г о т у

и 212812  
М

з а г о т у

212912

HAE C CAPITA QVAE  
P RÆ FIGIMVS, LECTORI  
*attento monstrant vera & immota fun-  
damenta vniuersæ hu-  
ius causæ.*

 I ponetur κατάκεισις της ἁγίας πίνακος, primùm ponenda est affirmatiua, ut conspi- ci possit discrimen inter Papistas & Nostros.

Quarendū, an velint ponī has pro- positiones, προσκυνῶ σὲ θεόμοντα ἐπ' αἴ- τῳ? Quid de adoratione & circumge- statione sentiendum? An velint dei- ci inventrem? An velint in pane con- tineri, aut dato pane exhiberi? An ve- lint ponere τὸ ωρταχῖ? Panis est κοι- νωνία.

An velint approbare dicta, Nec Eth- nici nec Iudæi afficiunt maiore con- tumelia: Item phrasin Bremensem? An velint confirmare crudelitatē An- glicam & similem in hac causa? Quo-

A 2 modo

modo resisti possit oblationi, si pona  
tur inclusio localis?

*Ex autographo Philippi Melanch-  
thonis scripto in priuatum vsum di-  
sputationis VVormatiae in Col-  
loquio anni 1557.*

Nihil habet rationem Sacramenti  
extra vsum institutum.

*Hic ille est aries qui pulsat regna Papatus,  
Impia conuincens deliria, ut improbus audet  
Fingere se Christum manibus gestare sacerdos,  
Ac reprobis, vacuisq; fide dare corpus edendū.  
Hoc uno responso omnes euertit abusus,  
Quod qui forcè negant, nō se de gente Papatus  
Defecisse patent, sed adhuc fundamine eodem  
Sacra fouere eadem, sensuq; tenere sinistro  
Mystica sacra paxim conuiuia cœna.*

**II. M.**

# PROOEMIVM.



RISTIS in primis & querula vox est sancti & sapientis Prophetæ Esaiæ, de miserijs & calamitatibus sui populi, cùm inquit: Manasse commedit humeros & brachia sua. Imago est rei horribilis & abominabilis, sumpta à furore miserorū hominum, qui fame necantur. Hi enim ut vitam in breuiiss. vix temporis momentum frustraque sibi prorogent, rabie inediae incitati, proprias carnes dentibus lacerant, & immiani cum laniena in sua viscera & crudelem in ventrē condunt: Ita, inquit Prophetæ, rex noster immanni sauitia membra suæ Reipublicæ, suos ciues iugulat, sibi ipsi manus auxiliares præcidit, suumque regnum pati lò post ab hoste externo opprimendum debilitat. Hanc patheticam & sanguinem lugubrem picturam necesse est in oculos piorum, sanorum & modestorum hominum incurrere, quoties de dissensionibus, distractionibus & con-

fusionibus imperiorum orbis Christiani in hac ultima mundi senecta cogitant, quibus omnibus, peractis fatalibus periodis, suæ impendent ruinæ & mutationes, & quæ proculdubio robore per ciuilia certamina consumpto, & post tam longas intestinas dissensiones, omni potentia languefacta, hosti externo prædæ futura sunt.

Verum etsi sanè cum Scipione spectante Carthaginis incendium, & simile fatum suæ patriæ vrbi Romanæ ominanti, hunc versum de nobis pronunciare possumus:

*Illa dies veniet, cum fato Troia peribit:  
Tamen quibus doctrina Ecclesiæ nota est, ijs se possunt erigere consolatōnibus, quas vox diuina monstrat. Sed pijs longè acerbiorem dolorem creāt verioris patriæ, hoc est, Ecclesiæ ærumnæ. Immenso Dei beneficio veræ doctrinæ vox, quæ multis seculis præstigijs sophisticis, & pontificia tyrannie obscurata conticuerat, repurgata est: illustrata vera de pœnitentia, de invocatione, & alijs partibus, doctrinæ, &*

na, & depulsæ planè Cimmeriæ super-  
 rioris ætatis tenebræ, atq; ita pia & dul-  
 cis inter Ecclesiæ emendatas fuerat  
 etiam constituta concordia. Sed ho-  
 stis filij Dei Diabolus, cùm per exter-  
 num hostem progressus veritatis im-  
 pedire non posset, excitauit nobis in-  
 testina bella, quibus Ecclesiæ harum  
 regionum ita quassatæ & dissipatæ  
 sunt, ut qui ista sine gemitu cogitare  
 possit, existimem reperi posse nem-  
 nem. Inuenti enim sunt homines ra-  
 biosi, furentes ex cupiditate gloriæ,  
 dominandi, pleni liuoris, maleuolen-  
 tiæ, & vt ille dixit, quasi vtres turgen-  
 tes superbia & opinionum vanitate:  
 illi nihil reverentes piam matrem Ec-  
 clesiam, Cainico & parricidiali furo-  
 re humeros & brachia miseræ matris  
 lacerare & deglubere sunt ausi, profli-  
 garunt salutares Doctores nostrarum  
 Ecclesiarum, qui verè erant humeri &  
 brachia piorum cœtuum, qui sustine-  
 bant onera in docendo & gubernan-  
 do, qui stabant in acie, præliabantur  
 pro Ecclesia contra hostes veritatis,

pios dulci nectare cœlestis veritatis  
 pascebant; atq; quod in primis utile  
 est, tanquam fulcra communem con-  
 sensum cum quadā authoritate tue-  
 bantur. Hos igitur cūm in suspitionē  
 & contemptum apud plerosq; falsis  
 criminacionibus adduxissent, loco &  
 authoritate sua deieccissent, secutæ  
 sunt istæ quasi infinitæ distractiones,  
 & inuestus prorsus talis status, qua-  
 lis, ut est in Tragœdia, est apud Cyclo-  
 pes, vbi ὅδεις ὁδοὶ ὁδέντα ἀκόει. Sublatis  
 baiulis & fulcris nostrum ædificium  
 cœpit fatiscere, minatur ruinam, de-  
 simus esse formidini hostibus. Sicut  
 & Græcia tantisper, teste Thucydide,  
 fuit virtrix, donec principes coniun-  
 ctis viribus contra cōmunem hostem  
 præliabantur. Interea in hac ἀναγκαι-  
 scelerata est petulantia fingendi dog-  
 mata, opiniones, & damnandi planè  
 sacerdotali & pontificia cum tyranni  
 de Ecclesiis optimè cōstitutas, & mul-  
 ta agmina piorum, quicunq; non re-  
 centibus, & paucis aliquibus legumi-  
 latoribus assentiuntur. In ista tamen

**S**o~~ξομανια~~ præcipua vulnera hoc tempore Ecclesiæ inferre videntur illi, qui de sacra cœna cōflictus atrocissimos exorsi sunt. Nam illam de linea ueste μυομαχιαρ quasi nox diremit, & propter eam in optimos nostros præceptores fatua & bruta emissâ fulmina ferme cœperunt langueſcere & cuanescere. Bellum verò hoc, quò ſauius, ita etiam multis nominibus magis deplorandum est.

Desiderio desiderauit manducare vobiscum hoc Pascha, inquit Filius Dei aditurus suum agonem. Ita singulos piorum decebat cum suavi desiderio & reuerentia appetere & amare hunc dulcem & sanctum conuictum, in quo Filius Dei præsens est, & suos conuictores pascit nutrimento cœlesti & incorruptibili, rigat eos liquore recreante ariditatem & imbecillitatem miseræ huius naturæ: testatur ſeſſe deinceps in suis velle esse efficacē, eos vita perpetua & beata viuificare, & eos gestare, perinde ſicut ſua natura humana ſustentatur, & inenarrabi-

A 5. li glo-

Hgloria è diuina inhabitante perfunditur. De his tantis beneficijs decebat ciues veræ Ecclesiæ cogitare, quoties de hac sacra ἀρνητική sermonem instituunt, & ita sese comparare, ne indigni hoc tam augusto conuictu esse videantur. Etiā antiquitas Ethnica ius sit πώλεια καὶ τράπεζαι μὴ προσεδίνει. Et nota sunt dicta, ἐνφημία πρὸς αὐτούς οὐκάλλισορ, ἐνφημία γένες ἐνκολωτατός τοντορ. Item: conuiuiū ornat modestia. Nón ne igitur decebat Christi conuictores multò magis piām ostendere modestiam, & si qua inter conuiuas incidat collocutio vel disceptatio, cum dulci & sobria moderatione suā dicere sententiam, placidè etiam audire alios, semper τὸ ἐνφημία loqui, & Inprimis cogitare, hanc communem mensam nerium & vinculum mutuæ esse debere confessionis & dilectionis? Sed quid fiat inter nostros de sacra cœna collocutores, proh Deum immortalem, cernimus. qui ructus, vomitus & alia inquinamenta, non concitorum Christi, sed ebriotum scurarum,

rarū, proripientium sese ex conuiuijs  
 Centaurorum & Lapitharum, publi-  
 cè projici cum dolore & horrore vi-  
 demus. Veniam dabunt nīco dolori  
 pij, quicunq; scripta plætaq; quæ nūc  
 in precio etiam sunt, inspexerunt. Pyr-  
 gopolinice aut Pseudohim Plauti-  
 nū, eumq; ad insaniam usq; ebriū vo-  
 ciferari credas, nec aliud quām plau-  
 stra quædam conuictiorum, eorumq;  
 exquisitorum (nam & maledicta nūc,  
 quibus pij & docti homines satis de-  
 formari possent, deficiunt yreperies,  
 & vt dicam de re atroci, quid atrox?  
 interdum ita excandescit eorum ora-  
 tio, vt etiā ipsas teterimas furias, et si-  
 vel cocytū, vel omnes infernales gur-  
 gites euomerent, magis dirum quid  
 effundere posse non credam. Attamē  
 tales maximè multitudini docendo  
 præeunt, plurimi ab eorum quamuis  
 impudentiore, tanquam Galli à suo  
 Hercule pendent, cùm non reperiam  
 quomodo apud hominem sensu sal-  
 tem communi præditum, opinabile  
 esse possit, eiusmodi pectus Spiritus  
 sancti

sancti posse esse domicilium. Non tales describit Apostol<sup>o</sup> ministros Christi, quos iubet erga omnes esse clementes, & cum pia humanitate erudire ad uersantes. Furiarū latibula, non spiritus Dei hospitiū in istis agnoscet, neque hi, ut falso iactitant, pīj zeli sunt ardentes, sed rabies, quā multæ forsitan legiones Diabolorum ipsis afflant. Sed hāc querelam, cūm nunc piæ admonitiones parū proficiat, abrumpo, & Deo, qui vindicta est impietatis & crudelitatis, exitum harum digladiationum commendabimus.

De rōyō cōtrouersa pauca nunc quæremus. Intuēti mihi theatrū tam ipsorum, qui in arenam prodeunt, quām spectatorū mirificam mihi spe ciem cernere videor. Adeò enim dissimilia & mirifica oriuntur studia & iudicia, ut mihi interdum in mentē veniat species illius poëticæ Chimæræ, & tandem constituā, non rectius eam varietatem in ordinem redigi posse, quām si ad gradus Aristotelicos, qui & ingeniosè constituti sunt, & valde latè

9

late parent, talia accōmodemus. Exi-  
stimauit is, homines plurima in vita  
eligere & suscipere, primū φύσε, hoc  
est, ex naturali inclinatione: plurima  
etiam ἀδέξια, id est, ex opinione conce-  
pta, et si ea non recta ratione vel iudi-  
cio nititur, sed plerunq; ad cupidita-  
tes aliquas sese accommodat, qualis  
erat fortitudo Bruti, qui volebat vide-  
ri esse imitator veteris Bruti, ut ea ra-  
tione inclaresceret: plurima item βε-  
λτίσσα, id est, voluntate edente voces &  
gestus simulatos, cùm interea mens  
iudicet contrarium, sicut in fortitudi-  
ne Thrasonis: vltimò quædam ex φύ-  
σεων φύσεων, id est, vero cum iudicio &  
deliberatione. Multi ex populo in Re-  
gno pontificio retinentur in cultu  
Missa persuasione pietatis, quia & na-  
tura amāt Cæremonias, quæ speciem  
habent magnæ religionis, & longo v-  
su inde vsque à teneris assuefacti sunt  
ad ea spectacula, quæ iudicantur esse  
plena sanctimoniar & nerui Christian-  
æ religionis. Pulchra omnino pom-  
pa est missa theatrica, & circumgesta-

tio illa tam augusta panis, ybi credi-  
 tur Christum tota sua substantia, &  
 singulari quadam præsentia esse co-  
 rām, offerentem æterna & corporalia  
 bona assistentib⁹ aut deducētibus eū.  
 Nota sunt dicta: τῶν σώματοφόρων γλυκύς:  
 Consuetudo altera natura. Et apud  
 Herodotum dicitur: Hominis furiosi  
 esse deridere vſitatos ritus vitæ. Ideo  
 ea opinio cultus apud multos ita al-  
 tē egit radices, vt nullas admittere  
 possint admonitiones cōtrarias, præ-  
 fertim cūm tales plæruntq; sint ex me-  
 dia plebe, qui non ea prædicti sunt iu-  
 dicij rectitudine, vt affectiones suas  
 vera ratione possint superare. Quām  
 multi etiam in Ecclesijs emendatis in  
 uoluuntur opinionibus in hac causa  
 non bonis, atq; etiam, quod dolendū  
 est, nescientes sāpe implicantur ido-  
 lis, propterea quòd illæ sententiæ yi-  
 dentur alere reuerentiam, acuere pre-  
 cationē in hominibus, atq; adeò vici-  
 niores esse antiquę consuetudini. Ad  
 huc gradus est eorum, & præcipue Do-  
 ñorum, qui suis indulgent opinioni-  
 bus

bus & affectibus, atq; ita propter cer-  
tas cupiditates etiam causam non bo-  
nam tuentur. Multi inflati superbia,  
opinione eximiæ cuiusdam scientiæ,  
ambitione, metu amittendi sui loci  
& autoritatis præliatur pro ea senten-  
tia, quæ existimatur grata esse popu-  
lo, & idonea ad homines retinendos  
in officio, & quæ ipsos circundare po-  
test peculiari quadam autoritate. Ex  
his multi adeò sanguinas odiorum flam-  
mas aduersus contradicentes conci-  
piunt, qui aliqua ab ipsis parum priùs  
intellecta monstrant, ut etiam cōtra  
hostes omnis religionis Christianæ  
nihil dici aut suscipi possit inclemen-  
tiūs. Hi verò propriè Diaboli flabella  
sunt, quæ incendium hoc tantum si-  
ne fine amplificant, nec vlla salutaria  
remedia quæri aut adhiberi patiūtur.  
Sunt tertio loco quidam dissimulato-  
res astuti & callidi, qui etsi quid verū  
sit non ignorent: tamen quia potenti-  
bus aut populo ea oratio ingrata est,  
ipsi etiam ad eorum sese opinionem  
inflectunt; atq; etsi priùs non obscu-  
rè quid

re quid senserint, protulerunt, postea  
tamen ut labrax piscis, qui ubi hamu-  
vorauit, os sibi lacerat, ut quoquo mo-  
do se explicet: Ita ipsi se retexunt,  
corrigunt, & fermè ut olim Athenien-  
ses Demetrio assentabantur, quod re-  
gi placet, pium esse pronūciant. Sunt  
tamen deinde alij, etsi pauciores, qui  
nec naturali procluitate, nec cupidi-  
tibus aut metu se superari patiun-  
tur, sed pio & moderato cum studio  
simplicem veritatem querunt, extru-  
ctam ex testimonijs diuinæ vocis &  
sinceræ antiquitatis suffragijs, eam ve-  
ra inuocatione & exercitijs pœniten-  
tiæ confirmant, quam etiam non ad  
turbanas Ecclesias, sed ad piam con-  
fessionem constituendam transfe-  
runt: in quorum numero nos etiam  
ut inueniamur, Deum toto pectorē  
precemur.

Quia verò disputationum harum  
magna est varietas, & dissimiles ma-  
gna vafricie quotidie struuntur laby-  
rinthi & cuniculi, ita ut rari reperiā-  
tur, qui fontes huius causæ recte intel-  
ligant,

ligant, aut alijs dextrè tradere sciant,  
 pr̄sertim cùm homines à scriptis par-  
 tis contrariæ, tanquam à venenis ar-  
 ceantur, brevē hanc collegimus syl-  
 uam, in qua, quod in alijs artibus o-  
 mnibus fieri necesse est, quasi quædā  
 causa huius ῥωματικος proponitur,  
 & præcisis omnibus vel non necessa-  
 rijs contentionibus, aut etiam conui-  
 tijs, per quandam ῥωτηριjs fundamen-  
 ta causæ monstratur. Nec hoc nostrū  
 est consilium, vt hoc modo nitro &  
 carbonibus acetum affundere, & no-  
 bis certamina cum aliquibus, quicun-  
 que tandem illi sunt, attrahere veli-  
 mus: sed vt nos ipsos in hac diffici-  
 l'causa erudiamus, & inuētis fontib'us  
 rectius iudicare possimus. Non igitur  
 Th̄eologos nostros, quibus plerisq;,  
 vt olim dictum est, Ira habitat in auri-  
 bus, & quorum plurimi, (bonos sem-  
 per excipio,) potius profocis, quam  
 pro aris dimicant, corrigere aut insti-  
 tuere conamur: Sed priuatim nobis  
 hic commentariolus sine cuiusquam  
 iniuria aut contumelia seruiet.

B P.R.L.

PRIMA PARS EXE-  
GESIS, DE SENTENTIA  
verborum cœnæ conseniente cum scri-  
ptis Apostolorum & purioris  
vetustatis.

EXPOSITIONIS NO.  
stræ hæc erit series.

- I. Primo loco veram sententiam de forma substantiali sacrae Cœnæ per & vñius ipsius breuiter recitabimus.
- II. Interpretationes & modos inconuenientes præcipios examinabimus, & detractis coloribus penitus eos denudabimus.
- III. Quia non satis officiosum est vulnera denudare & attrectare, nisi etiam ratio salvationis monstretur: proponemus, qua ratione ex nostro iudicio pia possit sarciri concordia.



ANTEQUAM summam rei recitemus, præmittemus has hypotheses, quæ vniuersæ causæ lucem affe-  
runt. Quia sacramenta sunt partes nii  
nisterij

nisterij & visibilia spectacula, per quæ  
filius Dei usq; ad consummationem;  
Ecclesiae, secundum ordinem à se in-  
stitutum, vult esse efficax in credenti-  
bus, consideremus ista duo. I. Ipsam  
personam Christi colligentis sibi hoc  
modo Ecclesiam. II. Naturam isto  
rum instrumentorum. Non dubium  
est regnum Christi in hac vita esse ta-  
le, vt ipse sedens ad dexteram æterni  
Patris per ministerium, per verbum &  
sacramenta colligat sibi Ecclesiam, &  
in credentibus dato Spiritu sancto sit  
efficax, vt ipse sit perpetuò mediator  
& sacerdos, audiens & perferens pre-  
cess piorum ad Patrem: ex diuinapre-  
tentia defendat Ecclesiam aduersus  
Diabolum & organa eius, & tandem  
eam resuscitatam ex morte, ornet vi-  
ta & gloria æterna. De ipsa persona fi-  
lij Dei vera, Ecclesia consentienti vo-  
ce profitetur, in Christo nato ex virgi-  
ne copulatas esse duas naturas vniq-  
ue hypostatica, diuinam & humanam,  
sine confusione tamen vnius naturæ  
cum altera, & quod propriè ad nos-

strum negotium pertinet, Credimus  
 in Christo post resuscitationem & as-  
 sumptionem in cœlos, adhuc verè re-  
 tineri naturam humanam, cum suis  
 substantialibus proprietatibus cor-  
 poris, et si per glorificationem noua  
 gloria & nouæ aliquæ cōditiones ac-  
 cesserūt. Execramur igitur deliria Eu-  
 tychiana & Enthusiastica, quæ fingūt  
 humanam naturam à diuina absor-  
 ptam esse, aut humanam diuinæ exæ-  
 quatam. Non etiam assentimur illis,  
 qui corpori Christi substantiales pro-  
 prietates adimunt, et si veritatem sub-  
 stantiaz interea tollere & negare ver-  
 bis non audent. Quia verò multi non  
 solum ex sectatoribus Schyvencksel-  
 dij, sed etiam alijs, glorificatione ex-  
 cusat multa absurdia, quæ ipsi affin-  
 gunt, addimus hoc: Et si fatemur nos  
 non penitus quæ sit conditio corpo-  
 ris glorificati perspicere: tamen sine  
 ylla dubitatione hoc credere, quod  
 etiam corpus Christi glorificatum &  
 exaltatum, corpus adhuc sit, & immo-  
 ras vel specificas proprietates corpo-  
 ris

ris retineat. *Propositio hæc habet te-*  
*sti monia perspicua & irrefragabilia.*  
*Constituit ipse Christus discrimē in-*  
*ter suum corpus resuscitatum & na-*  
*turam spiritualem, per allegationem*  
*proprietatum corporis. Circumfero,*  
*inquit, massam, quæ potest contrecta-*  
*ri & videri. Ergo ea non est spiritualis,*  
*sed corporea. Et extant multa similia*  
*dicta; surrexit non est hic, præcedet*  
*vos in Galilæam: transfertur ab uno*  
*loco in alium, neq; simul est in pluri-*  
*bus locis. Et articulus syphiboli, qui, ut*  
*optimè docuit noster Philippus, in-*  
*telligendus est ut sōnat litera. Narrat*  
*enim physica & corporali locatione*  
*sublatum esse in cœlum, hoc est, in eū*  
*locum cœlestem, quem Paulus nomi-*  
*nat sursum, quando inquit: Quarite*  
*ea quæ sursum sunt, ubi est Christus.*  
*Veniet etiam sicut viderunt eum a-*  
*scendentem. Et ut in historia resurre-*  
*ctionis significatum est, habebit sti-*  
*gmatā vulnerum: habebit alios stan-*  
*tes ad dextram, alios ad sinistrām. De-*  
*inde norūt omnes qui periti sunt An-*

tiquitatis; quam acriter Ecclesia ve-  
tus hunc articulum de veritate natu-  
ræ humanae in Christo propugnati-  
fit. Memoria digna est Epistola Ignatij ad Smyrnæos, qui affirmant sese  
Christum vidisse ascendentem εν ορ-  
αι, καὶ τιστεύειν ορεγμένης, & δοκισθεῖν φα-  
τασία, & λαλεῖν. hoc est, Christo ad-  
hucveram & corpoream carnem cir-  
cundatam; non carnem ex opinione  
aut imaginatione confitam. Et ex-  
pressè ponunt hanc propositionē ve-  
teres: Christum corporali locatione  
in uno loco esse, ubique vult: sicut  
optimus noster Philippus allegat illu-  
stre dictum Athanasij, qui dicit, οὐ γάρ  
non esse alligatum corpori, sed esse &  
in corpore & extra corpus. Ita Augu-  
stinus & alij rectè desinierunt: corpus  
Christi esse in cœlo secundū veri cor-  
poris modum. Item, corpus Domini  
in quo resurrexit, in uno loco esse o-  
portet. Damnant verò hanc phrasim:  
Caro Christi omnia replet. Ipsi etiam  
Theologi scholastici, saltem saniores  
& celebriores, cui multa ausi sunt, nū-  
quam

quam tamen pronunciarunt: corpus Christi in pluribus esse locis: sed ea forma sermonis vtuntur, vt dicant: Christus totus est ubiq; sed non totū. Deglorificatione etiam corporū beatorum sermo diuinus nō obscurè loquitur. Ait Paulus ea primūm esse incorruptibilia. Causæ igitur corruptiōnis, quæ proximæ sunt, à duabus potentijs, à nutriente & generante tollentur: Erunt deinde, inquit, corpora gloria. Ignobilitas corporū, vt Philosophi loquuntur, est ab illa Aristotelica priuatione, propter quam omnia prona sunt ad putredinem, & ita ad corruptionem. Econtra nobilia sunt illa corpora, quæ sunt exempta mutationibus alterationum & corruptionum, quālia sunt coelestia, solis & stellarum, & quidem his comparat vox diuinā corpora beata. Significat igitur materiam ablata corruptione adepturam nouas & nobiles cōditio-nes. Ex terrestri enim, opaca & ignaua fiet coelestis, lucida & agilis. Præterea corpora illa, inquit, ornabuntur no-

ua virtute. Materia nobilior & immortalis capax erit nobiliorum & meliorum functionum vel operationum. Non erit amplius corpus animale, sed spirituale. Materia prior quidem non redigetur in nihilum, sed non amplius viuet vita physica, sed spirituali: non nutritur, non generabit, sicut nec spiritus: accendetur spiritu viuificante, ita ut functiones omnium potentiarum ardeant Spiritu sancto, perinde ut ex materia cremabili flama ab igni accenditur. Et haec omnia fieri ad exemplar vel archetypum corporis ipsius filii Dei, cui erimus similes, qui sicut est Dominus de cœlo, ita est Spiritus viuificans, transfundens in electos tanquam in sua membra sui corporis gloriam & beatitudinem. Hęc est concio Paulina, quae comprehenit simul corpora sanctorum & ipsius Christi, qui caput est electorum. Quamuis vero Christi corpus longe maiori gloria excellit, tamen inter haec dicit esse similitudinem. Porro inter ea, quae generi differunt, nulla potest cogitari simili-

similitudo. Deinde corpus Christi nō  
 solūm glorificatum, verūm etiam ex-  
 altatum est. Sedet enim ad dextrā Dei  
 homo Christus Iesu in illa arcana lu-  
 ce Dei, æquali potentia regnat cum  
 Patre, & vñq; ad consummationē Ec-  
 clesiæ opera sui sacerdotij & regni, su-  
 peratis omnibus suis hostibus, exer-  
 cit, & tamē nulla interea naturarum  
 fit confusio, & corpus verè alicubi est  
 localiter. Etsi verò omnino regio alii  
 qua est beatorum, vbi non modò Mo-  
 ses, Elias, & magnum agmen corū, qui  
 cū Christo resuscitati & sublati sunt,  
 viuunt, & dulcissimo colloquio & a-  
 spectu filij Dei læti fruuntur, in quam  
 etiā corpora piorū resuscitata trans-  
 ferentur; tamen quæ, qualis & vbi illa  
 sit, in cœlo Empyreo, an alibi, nihil  
 opus est quærere. Concludimus er-  
 go, Christum etiam glorificatum &  
 exaltatum verum adhuc corpus cum  
 consubstantialibus suis proprietati-  
 bus retinere, & valde probamus regnū-  
 dam D. Lutheri, qui ait: Tollens pro-  
 prietas tollit naturam. In libro de  
 Concilijs.

**De communica-  
tione  
Idiomatu.**

Quia verò etiam de communicatiōne Idiomatum quæstio incidit, & aliqui harmostæ superiores vel maiorum gentium, audent cōminisci communicationem Idiomatum physicā, & ex ea deinde nube mirabiles Chimaeras formare, de hac etiam breuem hanc addimus commonefactionem: Naturæ duæ in Christo sunt vnitæ vniōne hypostatica, nec diuina tantū fuit socia & auxiliatrix separabilis, vt in Eliā & alijs sanctis: sicut perperam docuit Nestorius, qui & nepos fuit Samosateni, & furore etiam illius callidè renouauit. Interea tamen nec naturarum facta est confusio, nec vna in alteram absorpta, absumpta, vel conuersa, vt finxit Eutyches. Ideo discrimen proprietatum retinendum est. Et vera est regula: confundēs proprietas, confundit naturas. Ideo phrases diuinæ vociis diligenter considerandæ & usurpādæ sunt: Christus passus est in carne, inquit Petrus: Aspiciēt in me, quem confixerūt: Ego sum ante Abraham natum: Christus est natus

tus ex stirpe Dauidis secundum car-  
nem. Has locutiones cùm imitari vel  
let Ecclesia vetus, dixerunt eas esse ve-  
ras communicatione Idiomatum. Et  
ea rectè definitur esse prædicatio, in  
qua proprietas vnius naturæ dicitur  
de persona in concreto, ut significe-  
tur, duas naturas in Christo esse vni-  
tas vniione personali & inseparabili.  
De hoc modo loquendi optimè do-  
cet Theodoreetus, accuratus refuta-  
tor Eutychetis: Oportet, inquit, scire,  
quòd vnio facit nomina communia.  
Item, Nominum confusio non facit  
naturarum cōfusionem. Et Vigilius:  
Vnde constat diuinitatem humanita-  
tis habere vocabulum. Nazianzenus  
etiam inquit: Nominum coniunctio  
facit errare hæreticos. Quare statuen-  
dum est firmiter, communicationem  
Idiomatum tantum esse dialecticam  
prædicacionem & formam loquendi,  
non aliquam physicam impressionem,  
quæ, ut optimè dixit Philippus, est cō-  
fusio naturarum. Veteres in hac decla-  
ratione testati sunt, non inuenire sese  
simile

simile accommodatiū, quām hoc est,  
 quod sunitur à copulatione animæ  
 & corporis. Nemo dicit: Anima est  
 corpus, & tamen de homine dicitur:  
 Homo videt, numerat, dormit. Hic ne  
 mo ita desipit, ut dicat communica-  
 tione Idiomatum physica animā dor-  
 mire, aut corpus numerare, sed agno-  
 scimus omnes modum loquendi: Ita  
 hæ propositiones: Christus est passus,  
 Christus est ubique, neq; diuinam na-  
 turam mortuam, neq; humanam in  
 pluribus simul esse locis, significant.  
 Et quæ esset amentia, hæc propositiō-  
 nem: Ego sum ante Abraham natum,  
 pér physicam aliquam communica-  
 tionem interpretari, cùm natura hu-  
 mana, quæ fuit assumpta ex semine  
 Abrahæ, nequaquam fuerit ante Abra-  
 ham natū: Quare tencamus hoc cer-  
 tò: Nomiha significantia proprieta-  
 tes naturarum, nunquam physicè cō-  
 fundi: Sed in concreto alterius natu-  
 ræ proprietatem de toto subiecto præ  
 dicari, ut extet illustre testimonium  
 contra furores Nestorij. Nominā ve-  
 slim̄t̄

rō significantia officiū sacerdotij aut  
 regni, pertinent ad vtrāq; naturam,  
 & ratio evidens est: Quia mediatorē  
 & Saluatorem oportebat Deum esse  
 & hominem. Ideo in eo opere quæli-  
 bet natura suas habet effectiones, sic,  
 ut quando dico: Aristides est iustus,  
 comprehendō totū subiectum. Nam  
 rationi recta iudicanti & voluntati e-  
 ligenti obtemperat loco motiuā cor-  
 poris: Ita verae & receptæ sunt hæ pro-  
 positiones: Christus est Mediator, Sal-  
 uator, Rex, Sacerdos, secundū vtrāq;  
 naturam. Atq; hoc est, quod dixit Gre-  
 gorius: Ignorantiam distinctionis in-  
 ter nomina decipere hæreticos. Con-  
 stāter igitur physicam illam commu-  
 nicationem proprietatum in naturis  
 explodimus. Etsi autē tales valde vo-  
 ciferantur, nos similes Nestorio face-  
 re distractiones naturarum: tamen o-  
 mnes sani vident, quām futilis sit hæc  
 cauillatio. Nō propterea homo diui-  
 ditur, etsi aio animam non fieriebriā;  
 nec eam dormire turbata aut sopita  
 facultate cerebri. Nec etiam stella Io-  
 uis

uis à suo orbe distrahitur, et si scimus  
 ipsum corpus stellæ non per vniuersum  
 orbē esse expansum: Ita verè vni-  
 tus est λόγος naturæ humanæ etiam  
 tunc, cùm corpus physica locatione  
 in alio virginis, non extra formatur,  
 salit & viuit. Si qui etiam existimant  
 stante tali distinctione nullum futu-  
 rum discrimen inter has propositio-  
 nes: Patiente Iohanne Baptista, Deus  
 patitur: & hanc: Patiēte Christo, Deus  
 patitur: hi sciant, magnum esse discri-  
 men. Sanctorum passiones vel crucia-  
 tus pertinent ad Deum per metaphoram.  
 Relatio enim, videlicet contem-  
 ptus ad Deum, propagatur: sicut quā-  
 do violentur legati Romanæ Reipu-  
 blicæ, Senatus Romanus contumelia  
 affectus esse iudicatur, et si consules &  
 alij senatores non acceperunt plagas.  
 Sed ubi loquimur de Christo, signifi-  
 camus ipsam personam, quæ natura  
 Deus est, accepisse vulnus, & vidēt pe-  
 riti, si diligenter phrases illas commu-  
 nicationis Idiomatū consideremus,  
 admitti synecdochen. Sin autem ad-

Huc dicatur: perinde sicut in laceratione corporis, dolor penetrat usq; ad animam, ita quasdam affectiones naturæ humanæ in Christo cōmunicari diuinae, & econtrâ : Huic respondeo ex sententia Cyrilli: Animā hominis paciente corpore, extra passionē quidem manere, quantū pertinet ad naturam: tamen non extra passionē esse intelligi, quia propriū ipsius corpus patitur. Dolet quidem inter cruciatus corporis etiam anima, sed ea non est affectio vel impressio aliqua corporalē. Neq; enim anima laceratur, incalescit, vel frigescit nimiū, sed dolor in anima est ratiocinatio, iudicans obiectum hoc contrarium esse corpori & depellendū : Ita natura diuina potuisse repellere Iudæos à corpore Christi, nisi tunc, vt optimè dictū est, voluisse quiescere. Sed cùm talibus præstigijs facile sacientur infirmi, vt recte dictum est à nostro Philippo, ideo casomittimus.

Nunc transeamus ad secundā hypothesisin, quæ est, quomodo hic Rex <sup>De ministis</sup> <sup>10.</sup> in hac

in hac vita suis adsit. Fugiendi sunt fu-  
 rores Enthusiastarum, qui spreto aut  
 extenuato vsu ministerij, deducunt ho-  
 mines ad singulares & arcanae patefa-  
 ctiones extra & præter Verbum. Nos  
 verò fideliter retinemus coniunctio-  
 nem filij Dei, qui est  $\lambda\circ\gamma\Theta'$ , & ministe-  
 rij, per quod efficax est in cordib<sup>o</sup> pio-  
 rum  $\delta\lambda\circ\gamma\Theta'$ . Dupliciter enim nobis-  
 cum loquitur Filius. Primum foris in  
 ministerio, ostendens & offerens aeter-  
 na bona secundū promissionē Euani-  
 geliū, seruans omnibus tēporibus mi-  
 nisterium. Deinde intus in piorū cor-  
 dibus per Spiritum sanctum, flectens  
 eos ad salutarem assensum, monstrās  
 illis Patrē, & accendens in corde con-  
 formitatē cūm Deo. Nullam verò ma-  
 gicam vel physicā imaginamur Chri-  
 sti ad verbum vel Sacramēta in-  
 alligationem: Sed dicimus eum libertimē  
 ex pacto per verbum & Sacramēta in-  
 creditibus esse efficacē, & ea in ipsis  
 efficere, quæ offert promissio. Et ut  
 magis perspicuè hæc declaremus, pro-  
 dest ea referre ad articulum de gradi-  
 bus

dibus præsentia Dei. Discernenda est  
 hæc præsentia, primùm à præsentia v-  
 niuersali, qua Deus toti naturæ adeſt.  
 Sanctis etiā in altera vita præſens est  
 ſine ministerij vſu. Tradet enim Chri-  
 ſtus regnum Patri post resuſcitatōne  
 mortuorum, abolebitur prorsus pec-  
 catum & ministeriū, atq; Deus omnia  
 erit in omnibus. Neq; Christus aliqua  
 vniōne personali vel ſubſtantiali ad il-  
 la extēra Symbola Sacramentorum  
 alligatus eſt, ſicut duæ naturæ in Filio  
 copulatæ ſunt, ſed ad tertium gradū  
 hæc præſentia pertinet. Colligit ſibi  
 in hac vita filius Dei Eccleſiam, adeſt  
 pijs, & illis præſens eſt, ſicut dicitur:  
 Veniemus ad eum, & manſionem a-  
 pud eū faciemus. Sed hæc omnia fiūt  
 hoc ordine, ut pervocem Euangeliū &  
 sacramēta ſit efficax. Reclamē igitur præ-  
 ſentia ministerij & præſentia Sacra'mē-  
 talis refertur ad tertium gradum præ-  
 ſentiæ Dei, qua Deus adeſt sanctis in  
 hac vita vſq; ad resuſcitatōne mor-  
 tuorum, accendens & augens fidem,  
 inchoans in illis nouā vitam per Spiri-

C      tum

tum sanctum, qui est efficax per ministerium secundum ordinem à Christo institutum. Qualis sit usus verbi voca-  
lis, qualis etiam Sacramentorum, &  
quod inter hæc discrimen, facile pos-  
test monstrari. Per vocem Euangeli-  
j fit denunciatio Christi & beneficiorū  
ipsius, cum qua voce Christus in acci-  
pientibus & non repugnantibus, verè  
efficax est in corde, dato Spiritu san-  
cto, & ea in ijs efficit, quæ promittit  
Euangelium.

Sacra menta sunt ritus in currentes  
in oculos, instituti, ut sint sigilla pro-  
missionis, & testimonia applicationis  
promissionis vniuersalis ad singulos.  
Symbola differunt, quia diuersus mo-  
dus significandi est, & testificatio fit  
de diuersis bonis. Necesse est secundū  
concionem Euangeli, hominem pri-  
mūnī inseri Christo, & ex regno dia-  
boli in regnum filij Dei collocari. Illi-  
us insertionis ῥφεγγίς est ablutio vel  
mersio in aquam baptismi, quia signi-  
ficit, ut Apostolus loquitur, veterem  
hominem mergi & aboleri; econtrà,  
bapti-

baptizatum esse, reconciliatum Deo,  
 fieri ciuem regni Christi, & renouari  
 ad vitam æternam, sicut Paulus mani-  
 festè baptismum nominat lauacrum  
 regenerationis & renouationis Spiriti-  
 tus sancti. Homini deinde renato o-  
 pus est perpetua nutritione, perpetua  
 fidei confirmatione, illius pignus vel  
 σφραγίς est sacra cœna. Hoc enim con-  
 uictu, tanquam certo pignore, testa-  
 tur Christus, se credentibus certo &  
 perpetuo affuturum, eos sese seruatu-  
 rum & viuificaturū vita beata, & cor-  
 pora etiam ad immortalem vitā exci-  
 tatum. Quia verò has Dei in homi-  
 ne effectiones aliqui perperam acci-  
 piunt : tenenda est hæc admonitio.  
 Sicut symbolis per se nulla est facta  
 promissio, nulla etiam ibi præsentia  
 Dei physica, nulla alligatio magica ad  
 ea: ita sunt omittendæ imaginatio-  
 nes Osiandricæ, Enthusiasticæ, & quo-  
 rundam aliorum, de cōmixtione sub-  
 stantiarum Dei & hominis. Opus Sal-  
 uationis cōmune est tribus personis,  
 sc̄a tamen, ut immediate efficiatur a

C 2 Filio,

Filio, quia pertinet ad regnum Christi in hac vita. Iam natura diuina substantia sua omnia replet, neq; alio modo hic, alio alibi essentia sua præsens est, sicut nota sunt testimonia ex oratione Stephani, & alia. Humana natura physica locatione est in cœlo, hoc est, in loco cœlesti, qui est sursum, abducta à nobis, neque reddetur nobis ante ultimum Christi aduentū. Quare præsentia inhabitacionis est præsentia efficaciam. Habitat Christus in Paulo, id est, seruat non tantum vitam & substantiam Pauli, sicut omnium aliarum rerum conditarum, neque etiam tantum in eo accedit heroicis motus, quales fuerunt in Alejandro, sine vera luce Dei: Sed etiam singulare modo eum mutat, ut fiat conformis Deo. Hic nulla ponitur substantiarum confusio: sed retinetur discriminem inter creatorem & creaturam, inter causam & effectum. Nouitas accensa in renatis est à Deo, est à Spiritu sancto, sed nō est pars substantiae Dei vel Christi. Nihil igitur opus est illa Serueta &

& Schyvenckfeldiana Apotheosi, quæ  
similis est Vergilianæ, de qua dicitur:  
Mens agitat molem & magno se cor-  
pore miscet. Sed quidam, ut ex his cu-  
niculis petant pigmenta suæ causæ,  
acerrimè vrgēt, veteres manifestè do-  
cuiusc de duplice cōmunione, quæ no-  
bis est cum Christo, videlicet de spiri-  
tuali, & ea, quæ est secundum carnem,  
& addunt, eam, etsi imperuestigabilis  
sit, tamen veram & substantiale co-  
pulationem esse piorum & corporis  
Christi, sed sine hypostatica vnione.  
Allegant dicta veterum. Irenæus in-  
quit: Paterna lux transfunditur in Fi-  
lium, ut ex Filio propagetur in nos. Et  
Cyrillus dixit, Christū in nobis habi-  
tare non solùm per dilectionem, sed  
etiam participatione naturali, & illā  
corporalem cōmunicationem, ceræ,  
quæ alteri massæ cereæ affunditur &  
vnitur, cōparat. Simul verò eam vnio-  
nem corporalē præcipue in cœna my-  
stica veteres contrahi dicunt. Non li-  
tigamus nunc ex professo cū Enthu-  
siasta Silesio, qui spreto ministerio im-

De duplice  
communio  
ne cū Chri-  
sto.

pudenter ex fontibus Serueticis tales  
cōminiscitur fanaticos afflatus, deifi-  
cationes & substantiales transfusio-  
nes: sed tantum his pharmacis parum  
prudenter ex ipsis lacunis petitis, pri-  
mūm oppono articulum de veritate  
humanæ naturæ in Christo.

I. Corpus Christi sicut mille loci ve-  
terum testantur, abductū est à nobis.  
Ergo nulla pars substantiæ ex illo no-  
bis infunditur.

II. Nōnne repugnat hæc quasi mixta  
physica imaginatio ipsi naturæ & es-  
sentiæ personæ Christi? Persona enim  
est substantia individua & incommu-  
nicabilis. Quare nihil substantiale ex  
corpore Christi deciditur & nostro  
adiecitur.

III. Nullis testimonijs diuinis hoc  
doceri potest. Nam inhabitatio nullā  
commixtionem substancialē ponit.  
Propositio cœnæ est locutio sacramē  
talis, ut paulò pōst dicemus. Dicta e-  
tiam de manducatione carnis Chri-  
sti, sunt intelligenda de interiori spi-  
rituali renouatione, non de transfu-  
sione.

sione reali carnis, sicut eodem in loco dicitur: Caro non prodest quicquam. Et Paulus aperte ponit distinctionem, cum inquit: In Christo habitat diuinitas σωματικῶς, id est realiter, in alijs verò tantum effectiuè.

III. Respondeant huic argumento: Certum est promissionem Evangelij etiam notam fuisse Patribus ante Christum natum, & beneficia promissionis integrè ipsis donata, sicut argumentatur Stephanus. Iam cōiunctio piorum cum Christo, est pars iustificationis, quæ nominatur sanctificatio, necessaria omnibus illis, qui hæredes vitæ æternæ futuri sunt. Et hanc adeptam esse Patres non minùs perfectè quam nos, vox diuina eidēter docet: Abraham vidit diem meū, & cetera. Ederunt ex esca spirituali, sed Patribus non potuit aliquid communicari corporaliter de natura humana Christi, quæ nondum erat assumpta. Ergo illa vera corporalis unio vel transfusio nulla est. Temporis enim interuallum, politia

& symbola sacramentorum discrimē  
 constituunt: sed substantialia iustifi-  
 cationis & salvationis cōmunia sunt  
 Ecclesiæ ante & post natum Messiam,  
 nec minūs arctè cōiunctus vel vnitus  
 fuit Christo Abraham, quām Paulus  
 vel alij. Inter ea tamen constanter reti-  
 nemus propositiones antiquitatis,  
 Cyrilli & aliorū. Vnimur Christo non  
solum vnione spirituali, sed etiā cor-  
porali. Primū Christus est Saluator,  
 merito & efficacia. Sumus igitur iusti  
 primū imputatione, propter obe-  
 dientiam Filij, deriuātis in se pœnam  
 pro peccatis generis humāni. Hanc  
 meriti Christi in pijs applicationem,  
 veteres sāpe nominant præsentia di-  
 lectionis. Causaverò impulsua est mi-  
 sericordia Dei remittētis peccata pro-  
 pter Filium, sicut dicitur: Sic Deus di-  
 lexit mundum, &c. Atq; eam præcede-  
 re necesse est, sicut dicitur: Iustificati  
 fide pacem habemus, &c. Pater meus  
 diligit eum, & ad eum veniemus, id  
 est, habebit remissionem peccatorū,  
 & inchoationem vitæ æternæ. Sed al-  
 tera

teria pars iustificationis est sanctifica-  
tio, vel præsentia efficacia, vel κοινωνία  
nostræ cum Christo, vel inchoatio vi-  
tæ æternæ. Nam hæc omnia eandem  
rem significat, vbi verissimū est, quod  
initur societas cum Christo secundū  
utramq; naturam. Ideo decretum de  
redemptione factum est, ut rursus v-  
niamur toti diuinitati, vnione spiri-  
tuali; & quia inter Deum & hominē  
lapsus ordo iustitiae non patiebatur  
iniri societatem, constitutum est me-  
dium, videlicet ipse filius Dei media-  
tor, qui massam naturæ nostræ gestat.  
Inserimus igitur per fidem ipsius na-  
turæ humanæ, tanquam surculi trun-  
co, ut hoc modo ex sua massa in no-  
stram, sicut dulcissimè Irénæus dixit,  
lux diuina propagetur, ut talia in no-  
bis fiant, qualia λόγος in sua humana  
massa efficit, & ut agglutinati fide ex  
Christo hauriamus diuinam lctitiam  
& vitam, Ita per illam κοινωνίαν nostri  
cum corpore Christi vnimur cum to-  
ta diuinitate vnione spirituali, & hoc  
modo sicut Paulus inquit: Omnia re-

diguntur ad vnum caput. Ex his per-  
spicuum est, quomodo duplex nobis  
cum Christo sit *κοινωνία*, id est, spiritua-  
lis & corporalis.

I. Spiritualis, cum Christo & tota di-  
ninitate. Nam filius dupliciter consi-  
deratur, ut persona mittens, & ut per-  
sona missa.

II. Corporalis, tanquam cum Chri-  
sto Mediatore, cuius corpori inscri-  
mur, ut diuinæ naturæ, sicut Petrus in-  
quit, participes fieri possimus. Ad hāc  
nostram explicationem, cui neminē  
piorum refragari posse speramus, con-  
gruunt manifesta dicta scripturæ: Si  
quis diligit me, &c. Transformamur  
in eandem imaginē, &c. Christus rede-  
git omnia in vñū caput: Erimus simi-  
les ipsi. Simile etiam de cera non reij-  
cimus: Sicut in sole per liquefactionē  
cera ceræ affluit & agglutinatur: Ita in  
vera cōuersione filius Dei calcfacit &  
mutat corda pierum, eos sibi vnit, ut  
deinde eadem fiāt in sua massa & ere-  
dientium, citra tamen cōmixtionem  
fūbstantiarum. Neq; enim simile per  
omnia

omnia est simile. Et Cyrilli consilium  
fuit, monstrare perpetuā actionem in  
opere saluationis, etiā naturæ huma-  
næ in Christo: quam, tanquā nullius  
vſus, euauisse volebat Eutyches: nō  
verò apotheosin aliquam physicam  
ſtabilire. Sed inferiū vbi de corpore  
illo ſpirituali recentiorū differemus,  
etiam hæc fient clariora. Nam si nul-  
lū est corpus verè ſpirituale, hoc eſt,  
ſpoliatum omnibus conditionibus  
corporis, fruſtra de transfuſione illius  
pugnatur. Ex hac expositiōne manife-  
ſtum eſt, quæ fit natura Sacramento-  
rum. Non opus eſt rixari de vocabu-  
lo. Conſtat Eccleſiam veterem vſam  
hoc nomine, ut ſignificaret illas ex-  
ternas ceremonias eſſe signa fœde-  
ris, quod initur cum Deo, & muſu  
inter pios: perinde ſicut milites pub-  
lico iuramento promittunt fidelita-  
tem Imperatori, & muſuam conſen-  
ſionem. Ratio formalis Sacramento-  
rum eſt, quod ſunt ὁραγίæ iuſtitia  
fidei, hoc eſt, ceremoniæ, vel actio-  
nes institutæ in Euāgelio, quæ reſtiſi-  
cantur

De Sacra  
mentis.

cantur promissionē pertinere ad sin-  
gulos, & vt sint signa distinguentia Ec-  
clesiam ab alijs cōetibus, & nerui pub-  
licæ congregationis. Elementa sunt  
distincta, vt suprà dictum est, quia di-  
uersorum honorū sit testificatio vel  
obsignatio. Baptismus est lanacrū re-  
generationis, hoc est, testimonium,  
eum qui ita mergitur, fide ablui à for-  
dibus huius inquinatæ naturæ, & in-  
seri cōeti Christi. Cœna significat re-  
nati nutritionem, & κοινωνία p sumen-  
tis & Christi, qui pios pascit vera agni  
tione Dei, vera vita & lætitia in ipso.

An Sacra-  
menta sunt  
miracula.

Quærūt aliqui: An Sacramēta pos-  
sint rectè dici miracula? Respondeo,  
Sicut Paulus inquit: Placuit Deo per  
stultitiam prædicationis saluos fac-  
re credentes: Ita certum est, hanc esse  
Christi ordinationē, quod per ista sa-  
cra symbola vult esse efficax in credē-  
tibus, & hoc modo vsq; ad inchoatio-  
nem noui regni, æternam sibi collige-  
re Ecclesiam. Etsi igitur non dicimus,  
ordine physico fieri, quod homo ba-  
ptizatus à Deo in gratiam recipitur,

aut

aut quod Christus suum corpus & sanguinem ipsi communicat: tamen non recte dicimus, accidere haec miraculo se, sed ex ordinatione Christi, qui per ministerium est efficax. Habet igitur sacramenta rationem operis ordinarij, & miracula edita a Christo & Apostolis, sunt testimonia addita ministerio: Ita tenendum est discrimen inter ministerium & miracula, neque sacramentis illa prærogativa miraculosa, ut loquuntur, affingi debet. Satis etiam concinnè ab alijs respondetur: cum hac ætate post sufficientem doctrinæ confirmationem miracula desierint, non esse dicendum, nouum aliquid opus contra ordinem institutum edificare. Sed excipiunt aliqui, vete Cur reveres allegent o. omnipotentiā.

poris Christi. Hic verò meritò omnipotentia & bonitas Dei celebratur, quod cum illa externa sumptione, cōtra & prater ordinem physicum, imò contra immutabilē ordinem suę diuinæ iustitiae, intus in corde filius Dei credentes ex morte retrahit in vitam, & nos suo corpori efficit similes. Verum ut suprà dictum est, hæc mirabilis & omnibns creaturis ignota viuificatio, nunc habet rationem operis ordinarij, quia propter intercessionem immutabilis iustitia Dei mitigata est, & decretū factum, hominem lapsum propter obedientiam filij recipiendū in gratiam, atq; horum beneficiorum per ministerium fit denūciatio & ob-signatio in credētibus. Ita prorsus loquitur Paulus: Euangelium est potentia Dei ad salutē omni credēti, id est, res, cum qua filius Dei potēter in credētibus est efficax. Ex natura & insti-

**Regula.** tutione sacramentorū extruimus deinde & confirmamus usitatā & veram regulam, quæ docet, sacramenta tantum esse sacramenta in ysu à Christo

insti-

instituto. Si quis utatur aqua baptis-  
 mi ad sanandam lepram, idololatria  
 est, neq; tunc est sacramentū, quia hic  
 non est vsus institutus à Christo. Ita  
 theatrica circūgestatio & adoratio pa-  
 nis similis pompæ Persicæ, idololatri-  
 ca est, quia coena transformatur in o-  
 pus, quod toto genere diuersum est  
 ab vſu instituto, nempe à sumptione.  
 Neq; etiam mus rodit corpus Christi,  
 nec guttæ manātes in vestimenta aut  
 humū, sanguis Christi sunt, non enim  
 iste est vſus. Deinde aliud etiam addi-  
 mus ἐξώμοι magni momēti: Christus  
 adest non propter clementia, sed pro- Regula.  
 pter hominē. Perinde sicut Deus ne-  
 quaquam alligatus est ad illum exter-  
 num sonū prædicationis, sicut de no-  
 bis spargunt Enthusiastæ: Ita nō adest  
 propter aquam baptismi, aut propter  
 panem & vinū coenæ, quasi ea elemen-  
 ta peculiari aliqua & diuina autorita-  
 te vel gloria ornare velit. Sed adest, vt  
 per illa externa symbola in creden-  
 tibus ea efficiat, quæ offert promis-  
 sio Euangelij, & quorum illa externa  
sym-

symbola sunt σφραγίδες. Ita de pane et  
tus scriptor Theodore<sup>r</sup> exp̄resse ait,  
φύσις & μεταβολώς. Non igitur duplex  
est constituenda pr̄sentia, alia cū pa-  
ne, alia cum homine, sed unica est pr̄-  
sentia actionis, qua Christus in hoc  
est efficax.

**Dēcēna.** Constitutis his fundamentis, nūc  
propono Exegetin doctrinæ de sacra  
cœna, & ordior à definitione.

**Definitio.** Cœna Domini est ceremonia insti-  
**tuata à Christo in Euangelio,** in qua cū  
visibilibus elementis panis & vini fit  
communicatio corporis & sanguinis  
Christi, ita ut filius Dei substantialiter  
ibi pr̄fens sit, & testetur in credenti-  
bus sese facere applicationem suorum  
beneficiorum, & deinceps eos debere  
insertos esse suo corpori tanquam mē-  
bra, in quibus velit habitare, perfun-  
dere eos luce, vita & gloria perpetua,  
atq; etiam corpora eorum ad immor-  
talem vitam resuscitare. Simul autem  
vult ea beneficia fide accipi, & suos ve-  
ra inuocatione & gratiarum aetione  
ad sese accedere, & vult hunc ritu esse  
nervum

**Nota**

nerū publicæ cōgregationis, eumq;  
 veram Ecclesiam distinguerē à cōteri-  
 bus idololatricis, vsque ad ultimum  
 suum aduentum ad iudiciū. Primum  
 in declaracione nostræ definitionis  
 hoc esto. Magnæ rixæ sunt de forma  
 substantiali cōenæ, & plurimi aiunt,  
 nō satis esse loqui de fructu cōenæ, sed  
 dicendum etiam de substātia, quia in  
 verbis institutionis manifestè duo po-  
 ni: præsentiam substātiālēm & finē.  
 Philosophi dicunt, propriè imperito  
 rum esse respicere ad pauca, & nō insi-  
 stere considerationi fundamētorum  
 in causa. Ita in hac controvērsia pluri-  
 morum oculi harent in symbolis & il-  
 lis spectaculis, & negligunt interea hoc  
 quod est principale. Rursus repeto,  
 cogitandum esse de præsentia actio-  
 nis, quæ homini salutaris est, nō de al-  
 ligatione corporis ad symbola, ita o-  
 mnia erūt plana. Formale huiusactio-  
 nis & sumptionis est cōmunicatio  
 corporis Christi, & eadē ~~conver~~via Chri-  
 sti & piorū recte nominatur finis cōe-  
 næ, sicut usitatum est in relationis Di-  
lucubrati

D      stinctio

Itinētio agrorum est formale & finis lī  
 mitis. Huic deinde formalis & finis re-  
 spondet aliis finis correlatius , de  
 quo dicit : Hoc facite in mei com-  
 morationem. Vult enim filius Dei à  
 suis socijs & confœderatis vicissim a-  
 gnosci & celebrari. Finis distinctionis  
 agrorum est, ut sopiantur lites : Ita fi-  
 nis vñionis cū Christo est, ut hoc mo-  
 do filio Dei colligatur Ecclesia, quæ  
 eum verè agnoscat & celebret. Con-  
 currunt deinde alij fines, quos nomē  
**COMMEMORATIONIS** com-  
 plectitur, de quibus postea dicturi su-  
 mus. Ad hanc nostram sententiā plā-  
 nè congruunt dicta veterum, qui do-  
 cent: Eucharistiam constare ex re du-  
 plici: terrena & cœlesti. Formale igi-  
 tur huius actionis est, ut cum terrena  
 detur nobis cœlestis res, id est, fiat v-  
 nio inter nos & Christum. In defini-  
 tione asserimus, Christū in hac actio-  
 ne adesse substantialiter, ut expressum  
 extet testimonium contra omnes fa-  
 naticos & Enthusiastas, qui fingunt  
 hanc sacrae coenæ administrationem  
qibau Q tantum

tantum esse representationem quasi  
scenicam Christi absentis, aut simpli-  
cem & nudam picturam significantē  
quid diuini, aut tantum notam pro-  
fessionis, sicut toga discernebat Ro-  
manum à Græco. Neque concedunt  
has sacras actiones esse organa, p quæ  
Spiritus sanctus in credentibus sit effi-  
cax: Econtrà nos statuimus, Christū,  
vt in ministerio, verè pijs esse præsen-  
tem, &cū hac sumptione verè eis pre-  
stare, quæ promittit Euangeliū.

Nunc enarrabimus verba institu- Verba Coe-  
tionis, de quibus iam atrocia cōmit-  
tuntur prælia: sed simplex est oratio  
veritatis. Intueamur consilium Chri-  
sti adituri suum agonem.

Etsi illa dulcissima concio in cœna  
plena est salutaris doctrinæ & conso-  
lationum, sicut homines prudentes  
semper solent in Epilogis dicere quid  
eximium & patheticum: tamen præci  
puae partes sunt istæ, doctrina & pro-  
missio de perpetua collectione Eccle-  
siæ, & institutio ministerij Euangeli-  
ci, quod commendat Apostolis cum

consolatione de auxilio in calamita-  
 tibus & persecutionibus. Ita in insti-  
 tutione huius ceremonie, eundem pro-  
 positum habet finem. Promissioni e-  
 nim Euangelij & verbo vocali, quod  
 sonare debebant Apostoli, additum hunc  
 ritum tanquam σφραγιδα, neque vo-  
 luit tunc instituere singularem aliquem  
 cultum, toto genere diuersum a natu-  
 ra ministerij & Sacramentorum. Quid  
 igitur opus est accersere prodigiosas,  
 vel, ut loqui solent, tremendas inter-  
 pretationes? Nobiscum agit filius Dei,  
 & non paciscitur cum elementis: nos  
 vult de bonis illis, que promittit Eu-  
 gelium, reddere certos, & ea in nobis  
 obsignare hoc ritu. Quae igitur amen-  
 tia est, omisso homine, querere, quid  
 detur pani, aut qualis fiat unio corpo-  
 ris Christi cum pane? Absint isti furo-  
 res a pijs mentibus, qui profecto o-  
 mnes ignoti fuerunt sincerae antiqui-  
 tati. Nunquam Ecclesia verus pugna-  
 uit de intellectu harum propositio-  
 num: Hoc est corpus meum: Et, Calix  
 est nouum Testamentum in sanguine  
 Christi.

Christi. Explicata res est. Intelligunt Apostoli, intelligūt piæ mentes amates veritatis, hoc dici : Ista sumptio[n]e  
vel manduca[n]tione testificor, meritū  
remissionis peccatorum & vitæ æternæ ad te pertinere, tibi ista dari, te fidei  
inseri meo corpori, effici mihi membrum, vt ex meo corpore in te propagetur diuina lux verè agnoscens & inuocans Deum, vera vita & lætitia in  
Deo ; denique, vt retractus ex morte  
æterna sustenteris, ne redigaris in nihilum: perinde sicut mea massa humana  
sustentatur & gestatur à λόγῳ, à natura diuina inhabitante, & vt tandem  
tuum corpus etiam resuscitatum ex morte & glorificatum, viuat vita perpetua & beata. Ita hic calix est nouum  
testamentum in meo sanguine, qui effunditur pro vobis in remissio[n]e pec  
catorū, hoc est, isto haustu testificor,  
te esse socium noui foederis, quod sanctitur meo sanguine, mea obedientia  
& merito, quod impetrat toti Ecclesiae remissionem peccatorum. Scito  
igitur tibi dari non umbras, non ty-

D 3 pos,

pos, non ornamenta disciplinæ exten-  
 næ, aut politiæ, qualia sunt bona Le-  
 gis, sed beneficium noui testamenti,  
 quod est gratia & veritas patefacta p  
 Christum Iesum, id est, gratuita recon-  
 ciliatio, vera & æterna bona. In hac  
 simplici sententia credo tuto acquire-  
 scere omnes pios. Nam tenebræ, quæ  
 offunduntur, non sunt ex verbis Chri-  
 sti, sed ex somnijs indoctorum homi-  
 nūm. Acerbissimè litigant de modo  
 prædicationis, & ut illam σιρενὴ p tue-  
 antur quidam, assuerant esse prædi-  
 cationem inusitatam. Nominamus  
 nos prædicationem sacramentalem,  
 quales sunt istæ: Euangeliū est po-  
 tentia Dei, &c. Baptismus est lauacrum  
 regenerationis: ita, Panis est corpus  
 Christi: Panis est κοινωνία corporis Chri-  
 sti: Calix est nouum testamentum: Ca-  
 lix est κοινωνία sanguinis Christi, hoc  
 est, vniuersum ministerium, & in hoc  
 illi ritus, qui nominantur sacra-  
 menta, sunt instrumenta vel res, per quas  
 filius Dei in Ecclesia est efficax. Si quis  
 docendi causa querit tropū, nō diffi-  
 cile

cile est eum nominare, meo tamen iur  
dicio in phrasibus sacramentalibus,  
metonymia, quæ simul complectitur  
Synecdochen, concitina est; & ostendunt  
exempla omnium linguarū, sae-  
pe misceri plura genera figurarum in  
oratione: Euangelium est potentia  
Dei, Antonomasia est cum syncedo-  
che, hoc est, instrumentum per quod  
Deus potenter est efficax. Item: Ver-  
ba mea sunt Spiritus & vita, hoc est,  
per verbum tanquam per rem ad hūc  
vsum institutam, filius Dei donat vitā  
credentibus. Sacraenta verò simul  
sunt ritus vel actiones sacrae, quæ sunt  
Signa effectiōnū diuinarum, vel signa  
illius beneficij, quod donatur nobis.  
Ideo facilis in talibus propositionib⁹  
est metonymia. Baptizatus inseritur  
regno Christi, sed illa mensio externa  
simul signum est ablutionis & munda-  
tionis internæ: Ita manducatio in sa-  
cra coena simul pingit etiā oculis no-  
stris corporalibus nutritionem, quā  
haurimus ex Christo habitante in no-  
bis. Et in hanc sententiam dictum est

ab Augustino; Sacra menta esse verbū  
visibile. Quare iudico comprehendē-  
dam esse synecdochen & metonymiā  
in his locutionibus. Optimè noster  
Philippus hanc propositionem: Ca-  
lix est nouum Testamentum, confert  
isti. Fasces sunt Imperium Romanū,  
Neque ista multū dissimilis est: Se-  
ptem boues sunt septem anni. Bos c-  
nim arator est, & à messe ysitatum est  
colonis numerare annos. D. Luthero  
etiam placuit synecdoche, & citauit  
hoc exemplum, quo nunc omnes de-  
lestantur: Columba est Spiritus S. O-  
peræ precium est igitur illud examina-  
re, vt constet, quæ sit yera sententia, &  
an recte dictum sit à quodam: Luthe-  
rum in causa cœnæ commodiùs sen-  
sisse, quàm interdū locutus est. Essen-  
tia Spiritus sancti verè & propriè non  
magis præsens erat cum substantia co-  
lumbæ, quàm alibi. In Deū enim nul-  
la cadit extensio vel præsentia loca-  
lis: sed Deus ubique est. Propositio ve-  
rò ista hoc dicit: Cum ista visibili spe-  
cie colubæ Spiritus S. Christo incho-  
anti

anti suum ministerium ad excitandā  
 fidē in spectatoribus infundebatur:  
 Ita flammæ in ore Apostolorum erāt  
 Spiritus S. hoc est, cum ista visibili spe  
 cie flamarum donabatur Spiritus  
 S. Apostolis. Hīc iudicent omnes, qui  
 non sunt fascinati amore secte cōtra-  
 riæ, qualis constituatur præsentia, nē  
 pe ea, quæ personæ donata est, & præ-  
 sentia efficaciam nominatur, non vero  
 aliqua alligatio ad res externas. In p-  
 sona enim Christi & in Apostolis, nō  
 vero in columba, vel in flammis effi-  
 cax erat Spiritus sanctus. Quare explo-  
 datur illud verè absonum commen-  
 tum de prædicatione inusitata, quæ  
 solūm referenda est ad propositiones  
 de duabus naturis in Christo, & verè  
 essentialis est, sed significans modum  
 copulationis inusitatum in natura.  
 Sed contra hanc planam, veram & piā Rationes  
 sententiam sparguntur clamores ita interpreta-  
 trices, ut etiam constantem possint tionis.  
 percellere. Vociferantur enim pluri-  
 mi, intolerāda audacia à nobis τὸ ἔχον  
 abijci, & econtrà quæri τὴν διάνοιαν, οὐ γνῶσθαι

D s quæ

quæ blandiatur hominibus ingenio-  
 sis & Philosophis. Hos rogabimus ne  
 fœuant tantopere, cùm ira maximè  
 impedit iudicium, sed vnâ nobiscū  
 causam ipsam exutiant. Cogitemus  
 mentem & consilium benefici nostri  
 Saluatoris, qui voluit instituere sacra  
 mētum, hoc est, ritum testificantē in  
 ministerio de applicatione suorū be-  
 neficiarū, & qui illius applicationis  
 esset sigillum, hominis causa: non ve-  
 rò voluit erigere Idolum simile igni  
Persico, aut Vr Chaldæorum, ex quo  
 fese erectū lētatur & gratias Deo agit  
 Abraham. Vtri ergo retinent δρῦν  
 nos qui locutionem hanc sacramen-  
 talem, sacramētaliter accipimus, qui  
 simpliciter credimus, nos ista sumpti-  
 one socios fieri corporis Christi: An  
 verò pars aduersa, quæ de substanciali  
 corpore, & eius præsentia cum pane  
 ita dissimiliter disputat? Ideo cùm res  
 esset planissima, & maximè intelligi-  
 bilis, nulla mota fuit super ea inter as-  
 fidētes Apostolos disceptatio, qui ta-  
 men de rebus multò minoris momē-

ti so-

ti soliti sunt ambigere. Meminerant  
 Christum dulci & longa concione a-  
 lias docuisse de mādicatione suæ car-  
 nis, hoc est, de communicatione sui,  
 qua testatus est, velle se in pijs esse ef-  
 ficacē, & eos conformes suo corpori  
 efficere, vel suæ carnis gloriam & vitā  
 in illos propagare. Et in illa ipsa cœna  
 audiuerant institui à Christo ministe-  
 riū, explicari fructus ministerij, & præ-  
 sentiam suam in Ecclesia, cernebant  
 Christum corpore suo assidentē men-  
 se locatione physica, non transferri a-  
 liò, non mutari, sed panī tribuere ap-  
 pellationem tantūm sui corporis. Il-  
 lius igitur manducationis & promis-  
 sionis de præsentia sua, intelligebant  
 per notam hanc phrasin institui σφετ  
 γιδα & cōmonefactionem: non verò  
 miraculosam aliquam veri corporis  
 propagationem, aut nouum aliquod  
 numen, diuersum à beneficio, de quo  
 concionatur missio Euangelij, in-  
 stitui. Ideo bene de hac ipsa cœna  
 inquit Chrysostomus: Quomodo tur-  
 bati non sunt, cùm hoc audiuissent  
 quia

quia multa & magna de hoc antè disseruit. Deinde, nonne sequens propo-  
 sitio apertissimè explicat priorem? Nusquam dicitur: Vinum est sanguis  
 Christi: sed, Calix est nouū Testamen-  
 tum in sanguine, hoc est, iste haustus  
 est ob signatio promissionis de meri-  
 to & beneficio meo in credentibus.  
 Neque à phrasē Lucæ dissentunt vlo-  
 pacto quæ apud Matthæum & Marcū  
 leguntur. Calix est meus sanguis noui  
 Testamenti: hoc est, meriti & benefi-  
 ciorum noui Testamēti applicatio.  
 Non enim existimari potest, sanguinem  
 materialem, qui de latere Christi  
 ipso vulnerato effluxit & dissipatus  
 est, hauriri. Ideo Paulus certissimus in  
 terpres, propositionem, quæ extat a-  
 pud Lucam, tanquam magis perspi-  
 cuam, repetere maluit. Idem utramq;  
 propositionem ita dextrè & perspi-  
 cuè declarauit, vt nullus locus dubi-  
 tandi de vera sentētia, nisi illis, qui pe-  
 tulanter veritatē conturbare volunt,  
 relinquatur. Calix benedictionis est  
 κοινωνία sanguinis Christi: panis bene-  
 dictio-

dictionis est κοινωνία corporis Christi.  
 Non inquit, Panis est verum, essentia-  
 le vel substantiale corpus Christi: sed  
 est externa & visibilis res, qua sit socie-  
 tas inter nos & corpus Christi. Calix  
 est res visibilis, qua nobis exhibetur  
 sanguis Christi, & apertè testatur, nō  
 mutari naturam panis & vini in vsu.  
 Nam quod sumitur, nominat panē.  
 Propugnatores fidei Christianæ laba-  
 scens, ut videri volunt, cùm oculos  
 luce huius testimonij præstringi sen-  
 tiant, velant se, imitati exemplum A-  
 gamenionis nolentis spectare necē  
 filiæ, sed quale & quam bellum hoc sit  
 velum, videamus. Aiunt κοινωνία πορ-  
 poris significare ipsum corpus com-  
 municatum pani & distributum. Sed  
 quis prudentem abderet sese in eius-  
 modi κεκοφυγετηρι? Nimis aperta fraus  
 est. Quid opus erat antonomasia, si  
 Paulus voluit docete de coniunctio-  
 ne panis & corporis, cùm oratio sim-  
 plex: Panis est corpus, maiorem ha-  
 bear emphasi? Deinde inspiciamus  
 consilium Pauli, quādere agat. Facit  
 enim

enim antithesin sacræ Cœnæ & conuiuiorum Ethnicorum. Expressè inquit, eos, qui intersunt sacrificijs Ethnicis; inire societatem cum idolis: econtrà, in mensa Domini nos inire societatem cum Christo. Prohibet igitur seuerè facere talem confusionem mensæ Christi & Dæmoniorum, atque vis omnis antithesis est in nomine κοινωνία. Præterea norunt omnes docti, quid significet κοινωνία, & nequaquam fieri κοινωνία <sup>ap</sup> corporis Christi cum pane. Κοινωνία est Christi cum Ecclesia, & piorum tanquam membrorum eiusdem corporis inter se in Christo. Ideo nec Lutherus aliter interpretatus est. Abijciamus igitur pontificium & idololatricum dogma de societate corporis Christi cum pane, quod nequaquam notum fuit Paulo, nec eruditæ vetustati. Sed hæc disputatio redigit mihi in mentem memoriam cuiusdam discipuli parū grati & clementis erga suum præceptorem, ridiculi tamen Saul suū Prophetam & Doctorem reuocari voluit in

**Meschusius.** vitam,

Vitam, ut consuleret eum de re graui,  
 de exitu bellii: sed iste inuidēs suo præ  
 ceptori, viro omnium optimo, quem <sup>h</sup>~~h~~ ipso  
 non multò antè mendax & calumnia  
 trix sophistica necauit, dulcem suam  
 quietem, retrahit eum ex monumen-  
 to, vt ipsi quoddam frigidū ~~γένθωμα~~  
 dissoluat, & ita denuo eum iugulet.  
 Sed responderet ipsi vir sanctissimus  
 & mitissimus, quod ante aliquot an-  
 nos cuidam simili Pyrgopolinici per  
 somnum dicebat: ou γέ μοι δαντες την οδον  
 ποιειν κακόπεπται μάχεσθαι. Verum nos in-  
 terea viliora, vt ille dixit, capita, ictus  
 istos lethales excipiamus. Inquit ille  
 clarissimus vir: Si panis est illa res,  
 qua initur societas cum Christo, ne-  
 cessariò etiam impij accipientes pa-  
 nem, inserventur Christo. Et, ne, vt poë-  
 ta inquit, possemus ἀλεύθεραι τῆς αὐτοῦ  
 λαυναρ, extorquet nobis arma defen-  
 sionis. Neque ait, Hæc propositio si-  
 similis est isti: Euangelium est poten-  
 tia Dei ad salutē omni credenti. Nam  
 hīc nulla fit mentio fidei: sed tantum  
 distributionis. Ergo secundum Phi-  
 lippon

Iippum in omnibus impijs accedenti  
 bus ad sacram eœnam, habitabit Christi  
 stus. Huic telo, ex sua opinione planè  
 mortifero, postea, sicut crudelium si-  
 cariorum mos est, addidit sarcasmos.  
 Sed nos nō exanimamur terrore. Co-  
 gitamus enim quod ille vir fortis suo  
 Paridi præliatori exprobrat:  $\kappa\omega\phi\omega\gamma\beta\beta$   
 $\beta\epsilon\lambda\theta\alpha\tau\delta\epsilon\alpha\lambda\mu\delta\theta\alpha\mu\alpha\nu\alpha\theta$ . Au-  
 diat igitur nos, qui sumus  $\alpha\mu\omega\alpha\mu\nu\alpha$ .  
 Paulus erudit Ecclesiam, non agit cū  
 cœtu idololatrico, & sacramenta in-  
 stituta sunt pro credentibus, non pro  
 impijs. Sunt enim sigilla iustitiæ fidei.  
 Quare insertio illa in corpus Christi  
 non fit sine fide ex opere operato, si-  
 ne bono motu vtentis, vt docent pon-  
 tificij, aut sine cogitatione, vt cū mis-  
 rodit panem. Qui igitur est sine fide,  
 non percipit, vt veteres dixerunt, rem  
 Sacramenti, hoc est, non inseritur cor-  
 pori Christi. Ita, vt spero, laqueus con-  
 tritus est, & nos liberati sumus. Hanc  
 phrasin Pauli, verè luce meridiana cla-  
 riorē, imitata est vetus Ecclesia. Græ-  
 ci enim scriptores, Basilius, Nazianze-  
 nus,

nus, Clemens, Macarius, Origenes,  
 Theodoretus, nominant panem & vi-  
 nū symbola corporis; σῶμα ἐντίτυψι  
 & quidem symbola θόντος σώματος,  
 cōtra Eutychen, hoc est, corporis verē  
 subsistentis, & quod reuera in pijs ad-  
 huc est efficax. Præterea aptè definiūt  
 ὅτι τὰ δρώμενα σύμβολα οὐ μεταβάλλει τὰ  
 φύσιμα, οὐδὲ οὐκ θύσια τῇ οἰκείᾳ φύσεως.  
 Quòd verò aliqui contumeliosè reij-  
 ciunt Origenem, qui valde perspicuè  
 de hac causa locutus est, tanquam su-  
 spicuum, inciuiliter & incautè faciūt.  
 Cùm enim integræ synodi, & alij do-  
 cti & pij viri collegerint catalogum er-  
 rorum Origenis ex scriptis ipsius, in-  
 ter illos verò non recensuerint erro-  
 rem aliquē de sacra cœna, necesse est  
 eos iudicasse, rectè hac in parte sensi-  
 se & docuisse Origenem. Latiniverò,  
 Tertullianus, Augustinus, Prosper, Be-  
 da & alij, nominant signum & figurā  
 corporis Christi. Et quid potest dici  
 clarius? Hoc est corpus meum, id est,  
 figura corporis. Item: Corpus suū tra-  
 dere sese dixit discipulis, cùm signum

E      corpo-

corporis daret. Sed non constitui coa-  
ceruare omnia testimonia vetustatis.  
Nam cùm plurimi in hoc genere labo-  
rarent, possunt ea inspici in alijs scri-  
ptis. Quas verò corruptelas assuerit è-  
tas posterior, paulò pòst ostēdēmus.

Porrò, quia Ecclesiæ repurgatæ cō-  
fessionem Augustanam, tanquā sym-  
bolum horum temporū, mcritò ma-  
gnificant, & plurimi vociferantur,  
hanc piam & simplicem sententiam  
alienam esse à verbis cōfessionis, etiā  
illis accusatoribus respondeamus. Ve-  
rè statuimus in illa confessione recita-  
ti consensum veritatis cœlestis, tradi-  
tum in scriptis Prophetarum & Apo-  
stolorum. Ideo ab ea nequaquam disce-  
dimus: sed profitemur nos ciues esse  
Ecclesiarum, in quibus hæc doctrinæ  
vox sonat, & retinetur. Sed rursus, cū  
in illo coetu magna sit dissimilitudo,  
ita ut in alijs maior, in alijs minor sit  
lux, dexteritas & pietas; nō patiemur  
nos excludi à societate veræ Ecclesiæ,  
etsi aliqui abutantur formis loquen-  
di, & illis falso affingant intellectū,

quo

quo nos premi possimus. Deinde, cū  
 imbecillitas hominum magna sit, &  
 in doctissimis atq; optimis etiam ve-  
 ra lux doctrinæ subinde crescat & au-  
 geatur, fieri potest, vt excidant, quam  
 uis docto & circūspecto, locutiones  
 minus cōmodæ, quas deinde usus po-  
 steroris temporis emendat & corri-  
 git, sicut non dubium est, auctore con-  
 fessionis, virum omniū sanctissimū &  
 doctissimum, pleraque doctrinæ ca-  
 pita sāpere repetiuisse, magis illustrasse,  
 & præsertim in vltimis scriptis tradi-  
 disse magis explicatè. Valde igitur in-  
 clementer faciunt, qui aliqua vocabu-  
 la duriora aut minus propria, quæ po-  
 stea explicata aut etiam mutata sunt,  
 contra perpetuum sensum auctoris &  
 Ecclesiae vrgēt. Nos tamen in hac cau-  
 sa phrases Augustanæ confessionis in  
 hoc articulo, planè nihil offendunt.  
 Imò profitemur eas verè & piè usurpa-  
 ri posse. Statuit ea corporalē præsen-  
 tiā in coena rectè & benè, sed nō inter  
 ea stabilitur pōtifica alligatio ad sym-  
 bola, sed præsentia q̄ homini salutaris

est. Porrò suprà satis dictū est, toto pē-  
ctore nos fateri, q̄ vnimur Christo,  
non solū spiritualiter, sed etiam, vt  
veteres dixerunt, secundum carnem  
vel corporaliter, & illius insertionis  
in corpus Christi verè σφραγίς est illa  
sumptio, sicut dicitur: Manete in me,  
& ego in vobis. Item: Ego sum vitis,  
vos palmites. Neque interea oportet  
imaginari Enthusiasticā deificationē  
& substantiarum cōmixtionem exem-  
plo Osiatidri, & imprimis Schyvenck-  
feldij: sed fide hæc fit infertio, & ea fi-  
des verè est hypostasis rerum speran-  
darum, & οὐλέγεται non apparentium.  
Sed de his rursus paulo pōst loque-  
mur. Obstrepit verò etiam agmen ad-  
uersarium, poni à nobis vacua & ina-  
nia signa, & nihil tribui signis. His ve-  
rè dicere poteramus, quod ille fratri  
in iurgio respondet: aut studio illos  
occultare quod verum est, aut si serid  
ita iudicent, mentem illis esse adeni-  
ptam. Sicut enim nec prædicatio aut  
meditatio vocis diuinæ inarie signū  
aut exercitium est, vt Enthusiastæ do-  
cent,

cent, nec baptismus nuda pictura vel  
 signum, sed media, per quæ Deus de-  
 nunciat & donat quæ promisit: Ita nec  
 illa externa sumptio inane spectacu-  
 lum vel signum est, sed est res visibilis,  
 cum qua Christus verè secundum in-  
 stitutionem suam præsens est, & qua  
 ipsi verè per fidem vnimur. Sed exci-  
 piunt: Etsi de fructu & efficacia rectè  
 loquamur, tamen symbola ipsa nos  
 omni spoliare presentia. Respondeo:  
 Prolixè fatemur, nihil substantiale ac  
 cedere signis, quia nulla illis facta est  
 promissio: sed homini dari ea, quæ  
 promissio docet, & effici ea à filio dei,  
 nō à pane aut vino sumpto. Ita enim  
 Paulus panem & vinum nominat e-  
 tiam in vsu, & ita locuta est Antiqui-  
 tas, non mutari symbola aut abijcere  
 suam naturam. Porrò, si nouæ substan-  
 tiæ fieret adiunctio siue per vniōnem  
 essentialem, siue per respectū substan-  
 tialem, reuera symbola naturam suā  
 mutarent, sicut paulò post vberiūs de-  
 clarabimus. Ut tamē facer ille pastus  
 discernatur à cibo physico vel profa-

no, Paulus nominat panem & pocu-  
 lum benedictionis, hoc est, conuiuiū,  
 in quo dicuntur precationes, gratia-  
 rum actiones, & quod ad hunc finem  
 destinatum est, nō ut nutriat corpus,  
 sed ut Christi fiat cōmemoratio. Ae-  
 tas deinde posterior hæc symbola no-  
 minat corpus & sanguinem Christi in  
 vſu: interdum etiam extra vſum, respi-  
 ciendo tamen eò, quòd vſui iam de-  
 stinata sunt. Hæc forma loquendi  
 sumpta est ex consuetudine sermo-  
 nis diuini, quam etiam Christus &  
 Apostoli retinuerunt. Non dubium  
 est enim, vocem diuinam, res exter-  
 nas, vbi & cum quibus Deus vult esse  
 efficax, secundum suas patefactiones,  
 nominare sedem & habitationē Dei.  
 Propitiatorium erat sedes Dei, non  
 quòd Deus illud spacium essentia sua  
 magis repleret, quàm alia loca: sed  
 quòd arca destinata erat non ad fi-  
 nem œconomicum, sed vbi fieret cō-  
 pellatio veri Dei, & quòd Deus pro-  
 miserat, in eo loco exauditurū se pre-  
 ces populi. Et sunt alia exempla penè  
 simi-

similia. Agnus est pascha, hoc est, sym-  
bolum mactationis & beneficiorum  
Christi. Item: Hic est sanguis fœde-  
ris. Neque dubium est, Christum ad  
istas phrases veteris Testamenti respe-  
xisse, vel potius eas retinuisse. Nomi-  
natur enim panis corpus Christi, ut  
intelligamus, eum destinatum esse ad  
vsum mysticum, videlicet, ut sit σφραγίς  
promissionis Euangeli, & ut com-  
monefiamus hac appellatione, verè  
in vsu nobis ea donari, quæ denotant  
symbola. Dicunt veteres, corpus  
Christi ingredi in os, cadere in ter-  
ram, gestari in canistro: non quòd  
ponat aliquam substantialem & pon-  
tificiam vunionem, sed quia hac phra-  
si Sacramentali significare volunt, hu-  
ius panis alium esse vsum, quam pa-  
nis communis, qui est pabulum no-  
stri corporis. Hanc verò esse mentem  
Vetustatis, apertissimè euincunt hæc  
argumenta.

I. Ipsi veteres propositionem Chri-  
sti exponunt sacramentaliter de sym-  
bolo, typo, signo, figura Corporis.

E 4 Ergo

Ergo & ipsorum locutiones sacramētaliter accipi necesse est.

II. Etiam extra vsum, panem nomi-  
nant Corpus Christi, vt iam exempla  
citauius. Ergo loquuntur solūm de  
relatione, non verò de coniunctione  
geminæ substantiæ.

III. Necesse est has phrasēs eo modo  
intelligi, ne constituantur contradic-  
tiones aduersus articulum de verita-  
te humanæ naturę in Christo, quē tan-  
to cum labore munierunt veteres. Sic  
igitur expressè inq̄t Augustinus: Cor-  
pus Christi dicimus illud, quod ex fru-  
ctibus terræ acceptum, & prece mysti-  
ca consecratum, sumimus in memo-  
riam Dominicæ passionis. Et recitat  
alibi regulam perspicuam: Rei signa-  
tæ nomen tribui signo, videlicet per  
metonymiam. Norunt verò eruditī,  
hāc consuetudinem metonymicam  
etiam alijs linguis esse visitatam, sicut  
Homerus ὄρνα τις & nominat agnos,  
qui erant mactandi in signū foederis.  
Admittimus igitur libēter vñionem  
sacramētalem recentiorum, sed eam  
recte

recte intelligi & cautè usurpari volu-  
 mus. Neque enim aliqua σύμβολο gemi-  
 næ substantiæ, quacunque sanè ratio-  
 ne id fiat, constituitur: Sed hac propo-  
 sitione, Panis est corpus, solum signifi-  
 catur relatio, quæ est inter panem, qui  
 est signum, & inter corpus Christi, q.  
 est res signata. Et fatemur recte dictū  
 esse ab Antiquitate: Panis est symbo-  
 lum τοῦ οὐρανοῦ σώματος, videlicet con-  
 tra Eutychen, ut extet testimonium,  
 hæc symbola non esse nuda & vacua  
 signa, sed symbola etiā corporis Chri-  
 sti, quod reuera adhuc superstes est, &  
 cum quo vera & realis in hac actione  
 contrahitur societas. In definitione  
 tradita restat explicanda particula, de  
 fine huius sumptionis. Ostensum est  
 suprà, formam & finem primùm esse  
 κοινωνιαν vel consociationem Christi  
 cum pijs, cuius fœderis pignus est ista  
 sumptio. Sed nequaquam vult nos esse  
 κῶφα τρόσωπα in hac actione. Ideo ver-  
 ba institutionis dicunt, hæc omnia fieri  
 in Christi commemoratione. Vult  
 filius Dei hoc modo notitiam sui in  
 mundu-

E s genere

genere humano conseruari & propa-  
 gari, hoc modo æternam sibi collige-  
 re Ecclesiā, quæ ipsum verè agnoscat  
 & inuocet. Sumentem igitur fide ac-  
 cedere oportet ad Deum, verè statue-  
 re sibi remitti peccata, reconciliari se  
 Deo propter hanc victimam, scilicet  
 propter mortē Filij, cuius corpus pro  
 nobis traditum est, & sanguis effusus  
 in remissionem peccatorum, & simul  
 dato Spiritu S. ipsum in nobis dein-  
 ceps velle esse efficacem, nos gestare  
 & feruare, ne recidamus in æternam  
 mortem & damnationē: perinde sic  
 ut λόγος suam massam humanam ser-  
 uat, ne redigatur in nihilum. Hæc bo-  
 na vult celebrari & prædicari. Ardeat  
 igitur in sumente fides, petens & expe-  
 ctans fiducia Mediatoris, cū quo per-  
 cutitur hoc foedus, remissionem pec-  
 catorū, inchoationem nouæ & æter-  
 næ vite, denique alia bona corporalia  
 & æterna secundū promissiones. His  
 gemitibus misceatur gratiarū actio,  
 sicut dulcissimè veteres dixerunt, esse  
 memoriam dati & accepti pro omni-  
 bus

bus beneficijs, sicut quidam vetus ca-  
 non continet recitationem benefici-  
 orum Dei in creatione & redemptio-  
 ne inde vsq; à condito mundo. Dein-  
 de concurrunt alij fines inferiores.  
 Hæc communis cœna propriè institu-  
 ta est, vt sit neruus publicæ congrega-  
 tionis. Vult Deus vocem suam de Fi-  
 lio innotescere & exaudiri: ideo insti-  
 tuit publicum ministerium. Vinculū  
 autem optimum publici conuentus  
 est hæc cœna, in qua tanquam in com-  
 muni mēsa initur societas cum Deo,  
 & mutuō inter conuictores, sicut di-  
 citur: Vnus panis & vnū corpus mul-  
 ti sumus. Quare maximè admoveat  
 nos iste pastus de mutua dilectione,  
 & meminerimus, conuiuas nos esse  
 Christi, non verò compotores Cén-  
 taurorum & Lapitharum. Ideo huic  
 ritui singularis addita est promissio  
 de conseruatione Ecclesiæ vsq; ad ul-  
 timū diem iudicij: vt sciamus ibi futu-  
 ram esse verā Ecclesiam, vbi sonat ve-  
 ra vox ministerij, & legitimus est usus  
 sacramentorū, & vt nos segregemus  
 ab illo

ab illo cœtu, qui vocem doctrinæ corrupit, & stabilit idola in abusu & profanatione huius cœnae. Ita simul finis huius ritus est, ut sit nota Ecclesiæ, distinguens cœtus piorum ab idololatriis. Sicut Corinthi Paulus cū suo cœtu distinguebatur à conuiuijs idolorum, voce doctrinæ, & hoc symbolo communis fœderis. Ita omnibus temporibus Ecclesia hoc signo confessionis ab omnibus impijs cœtibus sese segregat. Interea tamen fines subordinati & sucedentes non obscurerent primum & principalem, de quo dictum est.

Exposuimus ferme summam veræ & simplicis sententiæ de cœna. Sed reliquum est adhuc vnum caput, quod nos commonefacere potest de curiositate & improbitate plurimorum hoc tempore in Ecclesia. Vulgare peccatum est in vita, prætermisis necessarijs incumbere in ῥάργῳ. Ita, cùm conueniebat nos in hac causa querere, quid Christus promiserit & exhibeat prijs, plerique de hac parte vix aut pauca verba

verba faciunt. Interea magnos acer-  
 uos paginarum implent acerbissimis  
 rixis, & scire volunt à parte aduersa,  
 quid detur pani, & quid accipient im-  
 pij vel increduli. Præ se ferunt autem  
 quidā ex istis inquisitoribus, esse quæ-  
 stionem magni momenti. Plurimum  
 enim referre, ut sciamus, quid contin-  
 gat impijs, ut hoc modo fugiamus pe-  
 ricula & pœnas indignæ manducatio-  
 nis. Respondeo: Valde perspicuum  
 est, quæ sit digna mādūcatio. Promis-  
 sio Euangeliū de beneficijs Christi, &  
 hic ritus, qui promissionis est testimō-  
 nium, requirunt fidem. Sed fides ne-  
 quaquam accenditur in homine per-  
 seuerante in peccatis cōtra consciēn-  
 tiā. Necesse est igitur in vera conuer-  
 sione hominem expauescere cogita-  
 tione iræ Dei, cuius magnitudo præci-  
 puè ex morte filij Dei agnoscitur, age  
 re pœnitentiā, fidem rufuserigi, & ve-  
 rē statuere propter hanc victimā pla-  
 catam esse iram Dei, remitti peccata  
 propter Filium, & per eum, dato Spiri-  
 tu Sancto, credentes viuificari noua

&amp;

& æterna vita, & horum beneficiorū  
 testimonium & pignus esse hanc sum-  
 ptionem. Indignè manducant, qui  
 nec pœnitentiam, nec fidem afferūt,  
 sed vel ex consuetudine profana, aut  
 etiam cum opinionibus Idololatri-  
 cis ad hanc sacram cœnam accedunt.  
 Manifestum est igitur, qualis scruta-  
 tio necessaria sit, nempe, an sit in no-  
 bis malum propositum, an sit pœni-  
 tentia, an fides accedens ad Deum fi-  
 ducia Mediatoris. Verū multi non  
 acquiescentes in hac simplici senten-  
 tia, acerbè quærunt, quid sumant im-  
 pijs, & in hac quæstione cardinem rei  
 verti dicunt. Inde enim certissimum  
 fieri posse indicium, an quis rectè vel  
 secus de essentia Cœnæ sentiat, & hos  
 solos esse Catholicos, qui affirmant  
 Corpus Christi accipi etiam ab im-  
 pijs. O miseram Ecclesiam, cui hoc,  
 quod substantiale vel essentiale est  
 in Sacramentis, commune est cum  
 impijs. Aperiat Deus illis oculos. Ex  
 commento idololatricę transsubstani-  
 tiationis nata est hæc prava opinio.

Substan-

Substantiale huius cœnæ est, ~~xovavria~~  
 cum Christo. Nam sicut illa insertio,  
 sicut toties diximus, sine fide fieri nō  
 potest: Ita sacramenta instituta sunt  
 pro credentibus, non pro impijs. Ad  
 quem enim non pertinent literæ pro  
 missionis, eidem inutile etiam est si-  
 gillum. Deinde cum illa præsentia  
 & copulatio veri corporis cum sym-  
 bolis sit imaginaria, non ex verbo  
 Dei, sed ex arbitrio hominum confi-  
 cta, iam evanuit illud μορμολύκαοп de-  
 mandatione veri Corporis in im-  
 pijs. Si vrgent, quid sumant impij,  
 dico eos sibi sumere iudiciū, hoc est,  
 ista sumptione contumeliosa in De-  
 um, cumulare sibi iram Dei, & attra-  
 here horribiles pœnas corporales &  
 æternas. Sed excipiunt illi: Attamen  
 Paulus dicit, tales fieri reos corporis  
 & sanguinis Christi. Item, non discer-  
 nere corpus Domini. Hoc autē dicere  
 nō posset, nisi impij fruerētur ipso cor-  
 pore. Res enim absens nō potest viola-  
 ri. Ex uno absurdo seq̄ infinita, res ipsa  
 in tota vita ostēdit. Quia igitur isti dis-

puta-

putatores patiuntur sese abduci à mi-  
 nisterio & ministerij præsentia ad alie-  
 nas speculationes, ideo innoluuntur  
 somnijs inextricabilib⁹. Qui vos sper-  
 nit, me spernit, inquit Christus de o-  
 mnibus pijs doct̄oribus: Ita contem-  
 ptus ministerij pertinet ad Christum,  
 qui est autor huius ordinationis. Mul-  
 tò magis peccant, qui hoc sigillo no-  
 ui Testamenti abutuntur, qui præ se  
 ferunt, sese cum Christo fœdus inire  
 paratos, cù m interea sint membra dia-  
 bolorum, qui Christo maledicunt, ta-  
 les reuera corpus & sanguinem Chri-  
 sti contumelia afficiūt, sicut latrones,  
 qui Christum crucifigūt. Abutens si-  
 gillo Cæsaris, maiestatem Cæsaris of-  
 fendit, & reus criminis læse maiesta-  
 tis pronunciatur: ita profectò reus est  
 corporis & sanguinis Christi, qui sigil-  
 lum corporis & sanguinis Christi cō-  
 tempsit. Additur verò etiam ratio hu-  
 ius grauis peccati, quòd tales non di-  
 scernant corpus Domini, hoc est, q̄  
 non hūc sacrum cibum à profano di-  
 scernant, quòd nō afferant fidem, nec  
statuant

statuant hunc cibum eò esse institu-  
tum, ut sit distributio corporis & san-  
guinis Christi, id est, omnium benefi-  
ciorum Christi, & nos cōiungat cum  
Christo vera & viuifica consociatio-  
ne. Huic perspicuæ & simplici exposi-  
tioni si qui refragantur, illorum petu-  
lantia profectò odio digna est. Nam  
vide, quæso, incogitantiam hominū.  
Etiam illi ipſi, qui vrgent præsentiam  
veri corporis, fateātur necesse est, rea-  
tum illum tantùm esse ex relatione,  
videlicet, propter contemptum, non  
verò propter aliquem cruciatum cor-  
poralem, lacerationem vel affectionē  
qualemcunque. Nam corpori Chri-  
sti, quod amplius non moritur, nulla  
nūnc realis vel contumelia corpora-  
lis fieri potest. Quare hærent in mani-  
festa contradictione. Quām futilis e-  
tiam cauillatio illorum est, qui dicūt,  
non fieri institutionem Christi & sa-  
cramenta irrita propter hominum in-  
credulitatem: Omnes igitur acceden-  
tes manducare verum corpus. Scire  
op̄ortebat rectè institutos in doctri-

F na,

na, vniuerso ministerio esse annexam  
cōditionē pœnitentiæ. Sicut Euange-  
lium salutare est credenti: Sicut ba-  
ptismus est lauacrum regenerationis  
credenti: Ita cœna ob-signatio est fœ-  
deris cum corpore Christi his, qui ea  
beneficia fide accipiunt. Rata est i-  
gitur Christi institutio eo modo, quo  
voluit esse ratam. In hac tristi autem  
comminatione consideretur gradus  
delinquentium, & nostri accusato-  
res in sese etiam descendant, & sese  
etiam, ne hoc reatu inuoluantur, exa-  
minent. Contumelia fit Christo, cùm  
profani accipiunt propter consuetu-  
dinem sine pœnitentia & fide: Sed  
grauior contumelia est, cùm sacra-  
mentum mutatur in idolum, toto  
genere à sua natura diuersum: sicut  
Pontificij docent, esse opus, quod  
mereatur remissionem peccatorum  
alijs, viuis & mortuis: conferunt in  
quæstum: proponunt panem spectan-  
dum & adorandum populo. Nec le-  
uis contumelia est, quando populus  
iubetur ad ostensionem panis, tan-  
quam

quam ad statuam regis Babylonici,  
procumbere, eò dirigere inuocatio-  
nem, & retinetur sub prætextu reue-  
rentiæ & pietatis in opinionibus ido-  
lolatricis, quas profectò in plurimo-  
rum animis hærere cernimus. Et cùm  
ad talia conniveant, aut etiam ea pro-  
bent & stabiliant, quos par erat plebi  
meliores instillare sententias, cogi-  
tent, an nō societate Idololatriæ pol-  
luantur. Certè seuerissimum extat  
mandatum defugiendis idolis, & ali-  
bi dicitur: Ne communices alienis  
peccatis. Adeò autem graue scelus  
est ista profanatio, vt propter hæc pec-  
cata totæ gentes magnis calamitati-  
bus opprimantur, & hi qui non agūt  
pœnitentiam, in æternas pœnas abij-  
ciantur. Quare oportebat nos exper-  
gisci, & serio de vero & salutari vsu, e-  
mendatis & reiectis omnibus corru-  
ptelis, cogitare. Nec verò Hyperaspis.  
stæ mandationis impiorum se tue-  
buntur autoritate antiquitatis. Mani-  
festum enim est, veteres nec sensisse a-  
liud, nec stantibus veris fundamentis

aliter sentire potuisse, quam quod ex mente Pauli iam à nobis recitatū est. Ideo docti & prudentes distinguunt inter Sacramentum & rem Sacramenti, inter rem terrenā & cœlestem: atq; concludunt, incredulos Sacramentū quidem, non verò rem Sacramēti percipere, id est, sacra symbola quidem manducare, sed nō fieri eos membra Christi, sicut apertè inquit Augustinus: Eū non manducare corpus Christi, q̄ non est in corpore Christi. Quod autem alibi dicunt: bonū corpus impij malum fieri, manifestū est, eos loqui de symbolis, quibus nomē corporis per metonymiam tribuitur. Sic ut etiam Paulus inquit: Tales non discernere corpus Domini. Et cogitent quod præsentia Christi sacramentalis accipienti semper salutaris est, & distincta à præsentia vniuersali, qua damnantur, puniuntur & destruuntur impij, quæ distinctio vniuersæ huic causæ lucem affert.

Hanc igitur esse sententiam Christi, Apostolorum & veteris Ecclesiæ,  
sinc

Sin ecclla dubitatione statuimus: Credentes fide in vsu panis & vini fieri vera & viua membra corporis Christi, q̄ præsens & efficax est per hæc symbola, vt per ministerium, accendens & renouans corda nostra Spiritu suo sancto. Incredulos verò non fieri participes vel *κοινωνεῖς*, sed reos corporis Christi, propter contemptum. Oramus autem veris gemitibus filiū Dei, vt ipse conuictores suos in Ecclesia suauiter & salubriter pascat, & Ecclesiam lumine veræ agnitionis & inuocationis in plurimorum mentibus accenso, libertet ab omnibus idolis.

## SECVNDA PARS EXEGESIS, DE INTER- pretationibus discedentibus & differen- tientibus ab analogia fidei.



ESTIS est historia mundi inde ab initio, Diabolū mirabilibus artibus insidiatum esse generi huma-

F 3 no,

no, & vt Deum contumelia afficeret,  
 plurimos auullos ab agnitione & cul-  
 tu veri Dei, implicasse idolatria &  
 horribilibus sceleribus. Ipsos primos  
 parentes deceptos opinione propriæ  
 excellentiæ à Deo auertit, & cùm de-  
 inde ipfi erecti essent promissione de-  
 venturo liberatore; tamē alterum ex  
 filijs, & eum quidem parentibus cario-  
 rem, abripuit idolatricis opinioni-  
 bus & cultibus, tandem etiam parrici-  
 dio inuoluit. Perseuerans verò in pri-  
 ma sua sophistica, promissiones & in-  
 stitutiones Dei calumniatus est, & ho-  
 minibus incautis falsum intellectum  
 & mendacia instillauit. Sic cùm in pri-  
 ma mundi ætate, sacrificia & ipsa agni  
 in aris cœlestis inflammatio, testimo-  
 nia externa essent de beneficijs Mes-  
 siæ, qui esset futurus victima, & delecto  
 peccato exeataturus in cordibus pio-  
 rum flamas Spiritus sancti: coetus  
 idolatricus præcentore Diabolo, &  
 ductore parricida Cain, promissionē  
 abiecit, filio Dei maledixit, & interea  
 ornamenti causa retinuit signum, cui  
 opinio-

Opinionem meriti addidit, neq; mul-  
tò pòst magna multitudo, vt Chaldæi  
& Persæ, ista signa in numina verterūt,  
& fixerunt ignem esse Deum ipsum,  
cumque specioso nomine Orimasda,  
hoc est, lumen Dei in uncuparunt. Sic  
Aegyptij coluerunt bouem, & pau-  
latim ingens multitudo Ethnica ex-  
ternas cæremonias cumularunt, & no-  
ua numina excogitarunt. In popu-  
lo Israël eodem modo Pharisæi sacri-  
ficijs opinionem meriti remissionis  
peccatorū & aliorum bonorum ad-  
diderunt. Sæpe etiam populus ad ma-  
nifesta idola dilapsi sunt; Et accusan-  
tur à Stephano sacerdotes, quòd tem-  
plum & arcam tanquam singulare nu-  
men coli voluerint. Non dissimilis  
verò ratio est huius negotij. Instituit  
Christus sacramentum, hoc est, te-  
stimonium applicationis suorum be-  
neficiorum in credentibus: Sed ho-  
mines impulsi à Diabolo, non diu-  
rectæ & probæ semitæ innixi sunt.  
Qualis usus Cœnæ tempore Aposto-  
lorum fuerit, ostendit ratio institu-

tionis & historia. Narratur prima Ec-  
 clesia hoc tanquam vinculo & neruo  
 publice cōgregationis vſa, & in fracti-  
 one panis, in publico cōuentu cōsen-  
 tientia animo fudisse preces ad Deum.  
 Vbi sicut nulla mētio singularis & tre-  
 mendi cuiusdā numinis: Ita in vſu ta-  
 mē pia adhībita fuit reuerētia in Chri-  
 sti cōmemorationē. Ita enim dicitur:  
 ἐγενέρητο τὸν εἶδον καὶ ἦν αὐτὸν  
 λαμπρός, καὶ τὴν κοινωνίαν, καὶ τὴν κλάσην τοῦ ἀρτοῦ,  
 καὶ τὰς προσθήκας. Vocabulū ἀταξίας  
 proſsus Paulino modo vſurpatū est,  
 neque de communione facultatum,  
 quam mox deinde nominat, intelligi  
 potest, sed recitat Ecclesiam perseue-  
 rasie in doctrina Apostolorum, in so-  
 cietate, quæ fractione, hoc est, distri-  
 butione panis initur & precatione.  
 Alij non modò peculiarem hunc cul-  
 tum ignorarūt, sed delapsi ad partem  
 contrariam, cœnam nimis contem-  
 ptim habuerunt. Sicut propter hanc  
 profanitatem Corinthij reprehendū  
 tur à Paulo, quod non discernerent  
 cœnam Christi à vulgaribus epu-  
 lis,

lis, sed apparent conuiuia ad pom-  
pam & luxū. Quis autem credat eam  
futuram fuisse profanitatem, præser-  
tim in gente prona ad idolatriam,  
si notum fuisset illis pontificum & si-  
milium dogma de præsentia veri vel  
essentialis corporis Christi cū pane?  
Paulus taxans illam & ταξίαρ, concio-  
natur de fructu cœnæ, & vult eam ad-  
ministrari reuerenter. Hanc veterem  
simplicitatem & rectitudinem imita-  
tam esse veterem Ecclesiam longo tē-  
pore, ostendunt historiæ in Dionysio  
& alijs. Sequens tamen ætas subinde  
magis conata est pietatem & reueren-  
tiā in hominibus acuere, præsertim  
cū iudicarent, hac dulci & pia cære-  
monia plures ad veram religionē in-  
uitari. Ideo nō solūm copiosè de fru-  
ctu locuti sunt, sed etiā symbolis ipsis  
appellationem corporis & sanguinis  
Christi tribuerunt. Etsi verò has phra-  
ses sacramentales, cū eo tēpore ad-  
huc illa recentiorum prærogatiua, vt  
nominat, ignota esset, nemo malè in-  
tellexit, nec vlla ca de causa essent mo-

ta certamina: tamen hyperbolæ aliquorum ex veteribus incommodè à posteritate acceptæ sunt: Irrepsit paulatim opinio de oblatione, eaq; subinde aucta & confirmata est, sicut apparet ex Canone, qui plura & diuersa habet additamenta. Aetas quidem ante Gregorii purior est, sed circa tempora Gregorij, qui ut vir Romanus, Rempubl. Ecclesiasticam aut potius monarchiam, permittente Phoca Cæsare, ordinare cœpit: inuocationes mortuorum & sacrificia pro mortuis, præcipue ex autoritate spectrorū confirmata sunt, atq; ita cumulatæ Missæ priuatæ. Isti abusus cum deinde creuissent, & subinde aucti essent, vltimò tandem inuecta est opinio de cultu panis, & hi quidem præcipui nerui sunt regni Pontificij. Hoc tamen dogma ad opere Augustinianæ circa Caroli Magni astatem, & paulo post, publicum factum est, cum prius ab Episcopis Romanis, et si acerrime resistentibus plenisque Græcis, cultus statuarum approbatus & cumulatus est. Nec extat ullus vetustior

stior autor Damasceno, qui de alligatione illa veri corporis loquatur. Nā ea, quæ ex Theophylacto recitantur, certissimum est, sicut alia multa, esse notha & fraude veterum libris infarta, quod quidem de hoc ipso Damasceno, qui in tempora Caroli Magni incidit, affirmant. Ecclesia Græcæ, q̄ illo tempore secessionem à Roniano Pontifice facerent, & imperia etiam distincta essent, et si quibusdam errorum contagij aspersæ sunt: tamen priores manferunt, sicut nec hodie pri uatas Missas extra monasteria, nec circumgestationē panis faciunt, & prorsus ipsorum Sacra propiora sunt veteri simplicitati & rectitudini. Gentes Gallicæ & Germanicæ pronæ in superstitiones, audie hanc cæremoniā, quæ maiestatem regni Ecclesiastici mirabiliter auget, complexæ sunt, & authoritate Imperatorū condita sunt collegia & templa, illisq; attributi redditus prodigalitate mirifica, nec admissæ sunt ullæ admonitiones contrariæ. Nam cūm imperante

Ludo.

Ludouico Pio, quidam vir doctus Io-  
hannes Scotus, contra idololatricum  
cultū panis in schola dissereret, à suis  
auditoribus disceptus esse scribitur.  
Ab eo tempore plurimi cœperunt la-  
borare in explicatione de modo præ-  
sentiae veri & substantialis corporis  
cum pane. Veteriores ponunt μεταφ  
εολίων πάπλων, aut μεταπεινούσι, hoc est, cō  
uersionē simplicem panis in corpus  
Christi. Eum modum aliquot seculis  
pōst aliqui ex scholasticis, defatigati  
perplexitate quæstionum recētium,  
denuo probarūt. Nam & Guilhelmus  
Occam, vir acerrimi ingenij, qui fuit  
discipulus Ioānis Scotti Monachi, dis-  
sidens hac in parte à suo præceptorē,  
vetera hæc renouauit. Et cùm expli-  
candus est modus, aiunt miraculosē  
fieri penetrationem dimensionū: aut  
dicunt, Corpus glorificatum & non  
glorificatum, posse esse in codem lo-  
co etiam ordine naturę. Petrus Lom-  
bardus examinans sententiā antiquo-  
rum, putat sine ratione geminam po-  
ni substantiam, propterea quòd ver-  
ba so-

basonent de mutatione panis in corpus. Statuit igitur substantiam panis vel in nihilum, vel in materiam primā redigi, manere tamen accidentia sine subiecto per miraculum, eaq; tegere corpus Christi, quod habeat suā propriam & veram formam. Secutus est Thomas, cuius ætate idolomania, tā quam propagatis infinitis examinibus, auctæ sunt. Is omnia sub magis ac curatam considerationem deduxit: Reicxit præsentiam geminæ substantiæ, negat etiam panem vel in nihilū, vel in materiam primam redigi. Sed ponit primū quasdam hypotheses, ut sese præmuniat: Ait, non esse credibile, substantiam Christi humanam, quæ in cœlo sit, descendere, & cum pane vniri, nec esse ibi præsens corpus, vt in uno aut in diuersis locis: sed specialem, vt ipse loquitur, poni modū, eumq; nominari posse transubstantiationem, quam dicit esse miraculosam conuersionem vnius substantiæ in alteram, perinde sicut aër in ignem vertitur. Sed pfectò sicut in Thoma fuit

inge-

ingenium & doctrina excellens, cùm  
in hac causa profiteretur se & retine-  
re Christi verum corpus cum substi-  
tutis suis proprietatibus, illudque  
necessariò in vno loco cœli esse, & ex-  
pressè reijceret ubiuitatem, vt nunc  
loquuntur, ea in contrariam partem  
pro sua consuetudine sibi ipsi obiecit  
argumenta, quæ refutare nulla ratio-  
ne potuit, atq; hoc nō solùm, qui nūc  
intuentur & intelligūt ipsius scripta,  
agnoscere possunt, sed ipsi etiam po-  
steriores scholastici iudicarunt. Secu-  
tus igitur Iohānes Scotus Monachus,  
vir ingenij sophistici & maximè pu-  
gnacis, modum Thomæ tanquam ir-  
rationabilem damnauit, & suum pro-  
posuit, quem quidem posteriores fe-  
rè omnes laudarunt: Ait, ne quidem  
per potētiā diuinam corpori Chri-  
sti adimi posse necessarias proprie-  
ties corporis, videlicet dimēsiones &  
locationem, sicut scripserat Thomas;  
sed, vt ipse affingit, miraculū fieri in  
loco vel in spatio cōtinenti. Nam pér  
omnipotentiam Dei substantiam pa-

nis redigi in nihilum, corpus autem  
 Christi accidentibus panis vestiri, esse  
 totum in tota hostia, ut nominant, &  
 in qualibet parte totum, ita ut mira-  
 culosè parvū spatum magnum cor-  
 pus contineat. Et in explicatione hu-  
 ius modi sunt duo ex ipsius sectato-  
 ribus, quorum alter dixit, totum mū-  
 dum in ista extensione, qua nunc est,  
 per potentiam diuinam in testa ouī:  
 alter, etiam in foramine acus contine-  
 ri posse. De duratione ferme consen-  
 serunt omnes, tantisper esse corpus  
 Christi, donec remanent species pa-  
 nis. Deinde addunt quæstiones, quæ  
 meritò omnium piorum aures offend-  
 dūt. Quid sumat mus rodens panem  
 consecratum, & similes. Et quorundā  
 tanta est impudentia, ut audeant dice-  
 re: Os muris non esse immundius ore  
 peccatoris: sine inquinamento igitur  
 etiam à mure capi. Sed reuera expa-  
 uescere necesse est pias mentes ad tan-  
 tam impietatem. Quæ tamen recita-  
 uimus, & multò plura, à quibus ani-  
 mus abhorret, in libris scholasticorū  
 tradita

tradita extant, eaque sunt basis Missæ  
 pontificiæ, sicut ætate Thomæ stabi-  
 lita transubstantiatione instituta est  
 theatrica circumgestatio panis, qui  
 iussus est adorari ab vniuersa Ecclesia;  
 In Daniele de Antiocho, qui typus est  
 Antichristi, scribitur: Deum Maozim  
 colet auro & argento. Perinde autem  
 ut Antiochus suum idolum in sacra-  
 tissimo loco templi collocatum ado-  
 rari iussit: ita stetit in Ecclesia, in loco  
 sanctissimo, in sanctissima ista cœna,  
 qua Christus cum pijs voluit facere so-  
 cietatem, multis seculis Deus Mao-  
 zim, qui à pane vel à cibo nomen ha-  
 bet, & is quidem magnam colluuiem  
 in regno Pontificio pauit: Sed in cau-  
 sa fuit, ut Deus afficeretur contume-  
 lia infinita, & ut hac profanatione ido-  
 lolatrica affererentur poenæ publi-  
 cæ & priuatæ, corporales & æternæ.  
 Non enim profectò ineptè iudicatur,  
 orbem Christianū occidentalem pro-  
 pter hanc teterrimam idololatriam  
 poenas luere & discerpi à barbaris gen-  
 tibus: perinde sicut Oriens propter  
 blasphem.

blasphemias Arij, quas audiē accepit,  
& immani cum sānitia defendit, ana-  
thema est, oppressus horribili seruitū  
te, tyrannide & caligine. Nostra verò  
ætate immēso Dei beneficio, cùm lux  
veræ doctrinæ repurgaretur per Reue-  
rendum D. Lutherum, virum pietate  
& donis Spiritus sancti excellentissi-  
mum, ista idolomania etiam reætē ta-  
xata est, & monstratus verus vsus sacræ  
coenæ: & sperandum fuisset temporis  
progressu, sicut alias doctrinæ partes,  
ita hanc etiā subinde planiūs nostros  
explicaturos, & à fecibüs Pontificijs  
repurgaturos fuisse. Sed primis statim  
annis infelix inter nostros doctores  
de hac ipsa causa bellum intestinum  
exortum est, quod optimā spē magna  
ex parte interuertit. Nam cùm q-  
dam flagrantes nescio quibus cupidi-  
tatibus, varias excitarent turbas, & nō  
tolerandas inuherent confusiones,  
atque etiā inter alia, Sacra menta ni-  
mium extenuarent, quasi essent solū  
externa signa, vel notæ professionis,  
aut representationis Christi absentis,

tanquam Agamemnonis in scena, ne  
 que concederent, sacramēta prodesse  
 ad fidei confirmationem, ex quibus  
 profectō primum suum virus hausit  
 Enthusiaſta Silesius, quod nunc ita la-  
 tē vagatur; acerrimē his aduersatus  
 est Lutherus. Etsi autē postea viri do-  
 cti, pij & prudentes, qui causæ huius  
 tractationem in ſeſe receperant, incō-  
 modas phrases mutarunt, emenda-  
 runt, & veram ſentētiam ſatis dextre  
 & perspicuè explicarunt, ita, vt multis  
 pijs & modestis ſatisficeret: tamen, ſic-  
 ut omnium hominum magna eſt in-  
 firmitas, &, vt olim dictum eſt, ne sapi-  
 entes quidem omnes prauos affectus  
 penitus poſſunt exuere, nō ſopiri po-  
 tuit hoc certamen, ſed quædam opi-  
 niones ex commēto transſubtantia-  
 tionis natæ, & contra partem aduer-  
 ſam, ſicut hosti in hostem quidlibet  
 licere putatur, in illo feruore certami-  
 nis accersitæ, in animis noſtrorū ha-  
 ferunt, neque ynquam radicitū euel-  
 li potuerunt. Hoc tamen omnibus  
 legentibus ſcripta Luthéri manifeſtū  
 eſt,

est, cum s<sup>e</sup>p<sup>e</sup>, præsertim vbi non præ-  
liatur cum aduersarijs, valde commo-  
dè & circumspècte de tota hac causa  
loqui, ita vt desiderari vix possit ali-  
quid ampliùs. Quòd autem ex suo  
quodam ardore interdum admiscet,  
vt leuissimè dicam, quid ἄκυρον, aut  
etiam non cautissimè loquitur, tri-  
buamus hoc communi omnium ho-  
minum, quæ etiam in præstantissimis  
magna est, imbecillitati. Nec pro-  
pterea, vt multi turbatores publicæ  
concordiæ, quibus pax bellum, bel-  
lum autem pax est, magna rabie ad po-  
pulum pios & meliores traducunt,  
deformatur Lutherus, aut ab ipsius  
doctrina fit secessio, et si in tanta varie-  
tate & copia scriptionum aliquid an-  
notatur, quod ab alijs, qui fuerunt  
quasi ὥρασάται Lutheri, explicatum  
est paulò dexterius: Certissimo te-  
stimonio optimorum virorum de-  
monstrari potest, Lutherum, cùm co-  
gnouisset & legisset, quibus argu-  
mentis vir æterna laude dignus, Phi-  
lippus, deprauationem cœnæ Ratis-

bonæ refutasset, exiliisse gaudio, Deo  
pro tanta luce clara voce gratias egis-  
se, & apertè professum esse, nunquam  
fese tantam rem ausum fuisse. Porrò  
in illa resutatione principem locum  
obtinet hæc regula: Christus adest nō  
propter panem, sed propter hominē.  
Ea si retinetur, iam non solum mater  
ipsa ~~μετροια~~ Pontificia, sed vniuersa  
etiam soboles ipsius profligata est. For-  
tassis etiam si nunc superstes esset, sic  
ut fuit natura planè heroica & aperta,  
& cognouisset perspicuas exposicio-  
nes huius causæ, editas à viris pijs &  
doctis hoc tempore, non repugnasset  
veritati ita manifestæ, quæ & maximè  
veram doctrinā munit, & contrā ido-  
lomanias pontificias potentissimè vi-  
gilat. Verum recedamus ab autorita-  
te personarū, sicut in Ecclesia par est,  
& causam potius examinemus.

Conticuerat bellum illud cruentū  
de cœna, & si non pax, saltem tales fue-  
rūt constitutæ induciæ, vt animi coa-  
lescere diuturnitate temporis potu-  
issent; ibi quidam, quos vt describam,  
non

nō opus est, cūm sese ipsos exactē pīt  
 gant, quibus fortassis, quamuis trucu-  
 lenta, illa condemnatio sanctorum &  
 optimorum hominum non satis gra-  
 ues dissensiones & turbas pārere vide-  
 batur: ingenti animorum motu Ec-  
 clesijs multarū gentium bellum pro-  
 pter dogma dissimile de cōēna intule-  
 runt, & in eo conflictu nihil ad sum-  
 mam atrocitatem prātermissum est,  
 ita, vt expeditat libros illos, qui omni  
 genere scurrilitatis & conuitijs, ex fa-  
 bulis Plauti & aliorum Tragicorū &  
 Comœdorū referti sunt, cūm nomen  
 Christianum dedecorent, ex memo-  
 ria hominū abolitos esse. Nam in isto  
 furore Martio vel Panico cō vñq; pro-  
 cessum est, vt etiam veri sancti, qui in-  
 ter crudelia supplicia propter constā-  
 tem confessionem purioris doctrinæ  
 in pia & ardenti inuocatione filij Dei  
 expirarunt, quorum necem & pias vo-  
 ces confessionis nemo bonorum sine  
 lacrymis legere potest: pro quibus, vi-  
 uente Lutherō, principes & doctores  
 nostrarum Ecclesiarun̄ moti pia mi-

sericordia, tanquam pro fratribus ad  
 Magistratus exteros diligentissimè in-  
 tercesserunt, Martyres Diaboli nomi-  
 nati sint. Sed pretiosa est mors sancto-  
 rum in oculis Domini. Ipse nō solùm  
 omnem lacrymam ab oculis eorum  
 absterget, verùm etiam in glorifica-  
 tione Ecclesiae post resuscitationem  
 mortuorum ostendet palam, q̄ martyres  
 Christi fuerint, stolas suas in san-  
 guine agni lauerint, atq; ita, vt canit  
 Ecclesia, letabuntur cum Christo sine  
 fine. Agmen verò horum ita creuit, vt  
 in ipsorum castris nec pauciores, nec  
 etiam magis congruentes inter se-  
 gentes militet, quam in exercitu Tro-  
 iano, quem Poëta ait sustulisse clan-  
 gorem similem gruibus, quando ad  
 littus Oceani conuolant, vt inuadant  
 & confodiant Pygmæos. Etsi autem,  
 vt quidem semper oratio incongruēs  
 sibi non constat, valde dissimiles in-  
 ter ipsos sunt sententiæ: tamen præ-  
 cipuas, & eas quidem eruditiorū re-  
 censemus.

Non dubium est, plerosq; ex vulgo  
 cogi-

cogitantes de his certaminibus, hære  
re in opinionibus similibus pontifi-  
cijs, & respicere primò & principali-  
ter ad symbola, cum quibus arbitran-  
tur coniunctam esse substantiā essen-  
tialis corporis Christi; ex qua postea  
opinione extruuntur & stabiliuntur  
profanationes deplorandæ, quas vbi  
faniores, quamuis modestè, indicant  
& reprehendunt, populus ab oratori-  
bus partis aduersæ ita ad saevitiam in-  
flammatur, vt tales indignos, qui vita  
li aura fruantur, existimet. Tam verò  
quidam ex illis, qui optimarum vide-  
ri volunt partiū, incogitanter de diui-  
nis his mysterijs loquuntur, vt ab ido-  
lomania Pontificia nomine, non re,  
discedant. Manifestè vniunt corpus  
cum pane, docent sacerdotē pronun-  
ciatione verborum facere mutatio-  
nem panis, & quidem acerbè regulam  
de vsu traducunt, disputant de tem-  
pore durationis, iubent facere ado-  
rationem, particulas reliquas colli-  
gunt & comburūt. Extant hæc in scri-  
ptis nostrorum concionatorū, ita, vt

inficiari nemo possit: & quidem celebrioribus similes s<sup>e</sup>p<sup>c</sup> excidunt locutiones, sicut quidam scripsit esse Christum sub hostia, & quidem sub hostia valde parua. Plurimi etiam illorū exacerrandam ~~ταραχήστια~~, vcl (vt rem prodigiosam prodigioso nomine nuncupant) ubiquitatem, ita sequerè ab Antiquitate rejectam & explosam, vt modos suæ imaginariæ præsentia excusare possint, reuocant. Sed nos, ne deleteri videamur refutatione corū, quæ planè mōstrosa sunt, recitabimus sententiam corū, qui omnium commodissimè sentire videntur.

Principiò dicunt, se inniti simplici sensu verborum Christi, non quarere sese interpretationes tropicas & philosophicas blandiētes rationi humanae, sed domare suum intellectum in piam captiuitatem Christi. Dixit Christus: Hoc est corpus meum. Non igitur dubitabimus, inquit, verè adesse hoc corpus, quod assumptum est de virgine, quod peperit in cruce, quod resurrexit. Postea adduntur graues

ues & seueræ objurgationes partis cō-  
 trariæ, quòd ad rationis & Philoso-  
 phiæ iudicium & principia velint exa-  
 minare mysteria Dei, propter aliquot  
 absurdæ physica irritum pronunciare  
 hoc, quod locutus est Christus, præci-  
 dere Deo omnipotentiam, & disputa-  
 re cum ipso de impossibilitate illius,  
 quod verbo suo sanciuit. Præterea ad  
 iiciunt nonnulli, cùm secreta cœlorū  
 & natura corporis glorificati homini  
 ignota sint, cur non mallemus, aiunt,  
 Christo credere, quām ab eius perspi-  
 cuiis verbis ad nouas interpretatio-  
 nes delabi? Hæc quidem tam plausibi-  
 liter & tanto cùm spiritu ab istis ora-  
 toribus, qui vel facundia vel loquen-  
 tia pollent, & plerunque tribunitij e-  
 tiam sunt, ad populum dicuntur & pin-  
 guntur, vt theatrum ipsorum non se-  
 cūs ac Romanum concionante An-  
 tonio Consule, & petente vindictam  
 propter necem Iulij, quasi æstu indi-  
 gnationis commoueatur & ferueat.  
 Atq; ita nullæ amplius aures illis, qui  
 rei peraguntur, reseruatæ patent, sed

G 5 ij sim.

ii simpliciter iudicatur esse & λασογε,  
καθάρματα, pestes Ecclesiæ, blasphemæ  
in Deum, deteriores Ethnicis & Iu-  
dæis.

Sed pergamus, vbi proceditur ulte-  
rius, quidā, seu imperitiores, seu pau-  
lò quietiores, dicunt, sese fugere om-  
nes quæstiones, nec de ullo modo præ-  
sentiæ sollicitos esse, sed simpliciter  
inhærere se verbis. Hi quidem, si  
cum Deo, secūs quām Enthusiastæ fa-  
ciunt, litigare nolunt, & quærere, quo  
modo cum istis rebus visibilibus tan-  
ta bona donare Deus possit homini,  
rectè faciunt: sin autem etiam nō que-  
rendum arbitrantur de vera præsen-  
tia in homine, id est, quid ista sumpti-  
one efficiatur in homine, & interea  
herent in cogitatione de vnione pon-  
tificia, perniciose errant. Necesse est  
enim nos de Christo & beneficijs e-  
ius ex verbo patefacto cognoscere &  
scire, quomodo in hac vita conuer-  
tamur & inferamur Ecclesiæ per ver-  
bum & Sacramenta, nec assuere com-  
menta aliqua falsa & aliena à mente  
Christi.

Christi. Verum cordatiōes & magis biliōsi ē vestigio signum atrocis praelij proponunt. Propositio , inquiunt, Panis est verum, substantiale, esse entiale corpus Christi, vera, recta & pia est. Et si hoc quæritur, dicimus esse prædicationem inusitatā, non quidem talem, quæ significet vniōem hypostaticam , sed Sacramentalem: Synecdochen , inquiunt , possumus admittere, ut extet testimonium contra transsubstantiationem, sed tamen sciendum est, primò & per se propositionem hanc sine tropo intelligendam. Metonymia verò incepta est. Neque enim panis est signum absentis corporis. Hunc suum intellectum muniunt deinde , & fulciunt multis argumentis , ex quibus nos præcipua deligemus.

I. Citatur regula communis, circumstantia scripturæ illuminat dicta. Ego sum vitis, propositio figurata est, quia subiicitur, vos palmites. Hic dicitur: Quod pro vobis traditum est. Tale igitur dicitur argumentū: Hoc corpus præsens

præsens est, quod pro nobis traditum  
est in morte. Pro nobis traditum est cor-  
pus verum & substantiale. Ergo præ-  
sens est corpus verum.

II. In dictis scripturæ, præsertim in  
articulis fidei, nunquam est accersen-  
da allegoria vel interpretatio tropi-  
ca, nisi ubi in alio loco expressè poni-  
tur negatiua. Ut propositionem hāc:  
Si oculus tuus offendit te, eruas cum,  
metaphoricè intelligimus, quia ex-  
pressè dicitur: Non occides. Sed in to-  
ta scriptura nusquam extat negatiua  
huius propositionis: Panis est verum  
corpus. Ergo propositio accipienda  
est sine tropo.

III. Paulus in narratione historiæ  
miro consensu retinet phrases Evan-  
gelistarum, exponens propositiones  
illas, ait: Panem esse corpus Christi co-  
municatum seu distributum, ait incre-  
dulos fieri reos corporis Christi, ait  
eos non discernere corpus Domini.  
Ergo significat præsens esse verum  
corpus.

III. Citantur testimonia veteris Ecclæsiæ, & recens inuentum est pharmacum valde placidum & blandum, vnum ex illis quæ nominantur Ηπια. Ecclesia vetus iam tempore Antoninorum accusata fuit de ἀνθρωπφαγίᾳ, occasione sumpta à cœna. Spargebatur enim conuenire homines ad nocturna coniuia, in quibus proponatur voranda caro humana, & gustetur sanguis humanus in signum coniurationis, quale nimis fuit conuiuiū Catilinæ. Hūic tam atrocí criminationi vbi respondent veteres, nequaquam negant se manducare corpus Christi, aut bibere eius sanguinem: sed tantum addūt, hoc fieri in mysterio, modo videlicet incomprehensibili, non visibiliter.

V. Expressè veteres panem & vinum nominant corpus & sanguinem Christi, sic ut infinita sunt testimonia.

VI. Expressè etiam statuunt duplice manducationem, sacramentalem & spiritualem, duplēcē etiam communicationē cum Christo, spiritualem

&amp;

& corporalem, & hanc dicunt contrā  
hi in cœna mystica.

VII. Testantur historiæ, veteres in  
administratione cœnæ ante verba in-  
stitutionis & communionem, Diaconi  
nos, Catechumenos templo remo-  
nisce, ne interessent his arcanis myste-  
rijs. Quare constat eos censuisse pro-  
poni rem arcanam, quæ non rectè in-  
stitutos posset offendere.

VIII. Confessio Augustana manife-  
stè affirmat, vescentibus in cœna ex-  
hiberi corporaliter verum corpus &  
sanguinem.

Hæc sunt præcipua argumēta, meo  
iudicio; & ne callidè agere videar, o-  
ptarim indicari ab ipsis, si qua habent  
meliora, quæ ego non inuenio. Vbi ve-  
rò deinde modum præsentiaæ consti-  
tuunt, aliqui propter personalem vel  
hypostaticam vunionem duarū natu-  
rarum in Christo, vel communicatio-  
nem Idiomatum, vt nominant, phy-  
sicam & realem, docent: Christum se-  
cundum vtramque naturam esse ubi-  
que, & quj contrā sentiunt, eos di-  
cunt

cunt facere distractiones Nestorij.  
 Sunt alij paulò prudentiores, qui intelligunt rectum esse etiam ab hoste discere. Ideo cùm videant τὸ ὑπέρταχον admodum malè quadrare, & audierint nunquam in Ecclesia simile dogma receptum, emendant sese & suos socios, aiūt corpus Christi vera & physica locatione esse sursum in cœlo, sicut dextrè, etsi non sine suo periculo, ostendit noster Philippus; sed rursus idem corpus sine locatione & villo respectu locali verè esse ex pacto in cœna. Hic verò allegant omnipotētiā Dei, prærogatiuam corporis Christi, addunt etiam, apud physicos locum non esse proprietatem substantialē corporis, cùm ipse Aristoteles determinauerit cœlum, quod certè corpus est, in loco non esse, & præterea multa alia magis miraculosa accidisse corpori Christi, quàm sit ista locationis ablatio. Nam & Christum penetrasse lapidem monumenti, ianuas clausas, ambulasse in mari, sustulisse sese in sublime. Porrò, penetrationē dimēsionum,

num, leuitatem in corpore terrestri, esse grauiora absurdia, quam illud prius. Firmiter igitur tenendum, Dco ita ordinati possibile esse, verum corpus ibi sine loco statuere. Vbi deinde de natura symbolorum loquuntur, monent tria in conspectu habenda.

I. Symbola panis & vini, quæ nō vertuntur in substantiam corporis Christi, sed retinent suam naturam.

II. Corpus & sanguinem Christi verum cum symbolis.

III. Efficaciam corporis & sanguinis Christi, vel fructum cœnæ, qui est donatio remissionis peccatorum & vitæ æternæ. Ideo cuidam, quem maximè sui libri, scse teste, delectant, valde placet hæc, quam vult esse suam, cum sit Bernardi, distinctio: Triplex est manducatio.

I. Symbolorum, videlicet panis & vini, quæ etiam homini cum brutis communis est.

II. Manducatio veri corporis, quæ communis est pijs & incredulis.

III. Manducatio spiritualis corporis

ris Christi, quæ tantum est credentiū.  
 Sed recens, sicut hæc ætas ferax est re-  
 rum nouarum, ut olim Africa, inuen-  
 ti sunt artifices, qui & hæc explicatio-  
 nem, et si Magistrorum nostrorū, non  
 probant, sed suæ causæ exiūias Philip-  
 pi quoquo modo accommodant, eo  
 cū successu, sicut est apud Plutarchū  
 de pueris, qui induūt grandes cothure  
 nos. Axiōma est Philippi: Christum  
 adesse non propter panē, sed propter  
 hominēm. Ideo, ut sciungant se ab il-  
 lis, qui pugnāt de pane, affirmant nul-  
 lam cogitari debere alligationem ad  
 symbola, sed tantum hoc vtraq; māz  
 nu tenendum: Corpus Christi vērē &  
 substātialiter infundi vel exhiberi ho-  
 mini. Præter dicta verò scripturæ, quæ  
 prōmittunt de copulatione creden-  
 tium cùm corpore Christi, allegāt ve-  
 teres, q; vbi de corporali vnione Chri-  
 sti & piorum loquūtur, respiciunt ad  
 hanç cœnām mysticā. Incredulos di-  
 cunt non percipere vactia signa, sed  
 manducare quidem eos vērum cor-  
 pus, sed illud non vñiri cum iþsis. At-

H      que

que ita concludunt, symbola non esse inania & vacua signa absentis corporis, ut pars aduersa dictitat, sed signa exhibitu a veri & substancialis corporis modo inperuestigabili. Atq; ita cum nobis promissio facta sit de natura humana Christi, non debere nec posse eam restringi tantum ad diuinam. Ista ferme summa est eorum, quæ à parte aduersa dicuntur. Nos enim neruos & præcipua capita negotij, non verò bilem, venena, & acerbissimas criminationes recitare aut redarguere volumus. Breuiter igitur nostram subiiciemus sententiam.

Celebre apophthegma est Philosophorum, doctrinam ex veris extructâ fundamentis omnes contrarias obiectiones dissoluere. Ideo illi, qui veritatem simplici studio quaerit, nec ullis cupiditatibus motus ambitionis, aut similibus irretitus hæret, facilis est explicatio. Manifestum est, ex illuuiie Pontificia hæsisse in nostris has sordium reliquias. Quare communis erit refutatio. Et primum miramur sancte, quam

Binam fato multi excellentes ingenio  
& doctrina detineantur in tanta opi-  
nionum caligine, vt non agnoscant,  
quam male sibi hoc ipsorum dogma  
constet.

Obiurgatur pars aduersa, quod in  
propositione coenæ recipiat tropum,  
neq; ipsi interea videre volūt, si tropū  
reiciunt, planè & necessariò stabiliri  
~~metrōia~~. At qui ea ipsa fuit causa, cur  
scholastici sua cōminiscerentur, quia  
verba, Panis est corpus, sonant de con-  
uersione. Neq; enim ita fuerunt amē-  
tes, vt sibi aut alijs persuadere conare-  
tur, posse retineri intellectū crassum,  
vt ita dicam, vocabulorū, admissa ali-  
qua specie figurarum. Iam isti nostri  
peritiores Grammatici, cùm viderive  
liat abhorre à conuersione vel mu-  
tatione illa, quam necessariò verba,  
caratione intellecta, confirmant; ta-  
men aut contemnunt tropum, aut  
etsi tropū, vt aliqui faciūt, accersunt,  
~~κατέβασιν~~, vt aiunt, retinent. Præterea do-  
nemus illis sanè synecdochen, quam  
referunt ad panem, & dicunt ideo

H 2 esse

esse commodā, quia etiam in ysū Pau-  
 lus adhuc nominat symbola panem  
 & vinum: Etsi profectō pontificijs nō  
 deest speciosa responsio, tamen pro-  
 conuersione illa veterum, quæ simpli-  
 cior & facilior erat, necessariō stabili-  
 tur quædā ~~τοιωδής οὐδενίσις, vel σωματίας~~  
 quam aliqui inepto nomine, Consub-  
 stantiationem nominant, neq; hanc  
 effugere vlli possunt, etsi maximè va-  
 ria comminiscantur. Est enim ea ge-  
 minæ substantiæ coniunctio per ali-  
 quem realem respectum. Perspicuum  
 verò est, omnes, etsi quidam regulam  
 de ysū non improbant, tamen in ysū  
 ponere duplicis substantię p̄fentiā,  
 panis, & corporis Christi, quod respe-  
 ctu essentiali copulatum est pani. Et  
 hoc necessariō significat synecdoche,  
 videlicet panem esse continens, cor-  
 pus Christi contentum. Quare valde  
 ridiculi sunt illi, qui prolixè de p̄fensi-  
 tia veri corporis concionāntur, & in-  
 terea profitentur, nullā se facere eius  
 ad symbola alligationem. Nam om-  
 nes certè fatentur, cum pane sumen-  
 ti, non

ti, non verò alijs, præsens esse verū cor-  
 pus. Item, etiam incredulos cum pa-  
 ne manducare verum corpus, et si hoc  
 ipsis non vniatur. Manifesta igitur cō-  
 stituitur alligatio substancialis ad sym-  
 bola. Quantùm verò hēc opinio diffe-  
 rat à pontificia, & ytrum necesse fue-  
 rit de tali re mouere litē, iudicent pru-  
 dentes. Ostendant, quæso, discrimen  
 suæ sententiæ & Papisticæ, & doceāt,  
 quid mali sit in sententia scholastico-  
 rum præ ista. Nituntur pontificij sim-  
 pliци sono vocabulorum, quæ putant  
 significare conuersionem substantiæ  
 panis in corpus. Isti reiecta ea muta-  
 tione, singunt geminam substantiam  
 panis & corporis realiter vnitā. Estne  
 hēc differētia leuissima tanti momen-  
 ti, ut sentētiam veterem ita atrociter  
 oppugnare necesse fuerit? Perierit sa-  
 nè substantia panis, sicut verba viden-  
 tur significare, tamen cùm accidentia  
 sint reliqua, & ea sola sensibus manife-  
 sta sint, recte panis adhuc, respiciēdo  
 videlicet ad nostros sensus, ita nomi-  
 natur, neque ea opinio proflus in vl-

lum articulum fidei impingit, neque plus ex illa malum, quam ex altera extripi potest. Et Lutherus ipse fassus est, μεταστατuere vel non statuere, esse ἀδιάφορον. Videte igitur, quam bellè congruamus cum idolomania Pontificia. Imò apertè profiteor, modum præsentia scholasticorum, præsertim posteriorum, esse magis rationabile, & verbis ruditer intellectis viciniorē, quam istorum, qui toties harent in manifesta contradictione, & ex priuato arbitrio ea proponunt, quæ neque veritati, neque sibi ipsi constant. Sed iam audire mihi videor censuras quo rundam, qui sauerè increpant nos, q̄ modum præsentia, qui tamen imperuestigabilis est, inquirere, & mysteria Dei, ut loquuntur, scrutari audeamus. Verùm cogitent, vter cœtus veram reprehensionē mereatur. Nos omissis omnibus disputationibus de symbolis, quæ scimus naturam suam prorsus nō mutare, docemus, quid in ista actione præstetur homini, & propositionem Christi Sacramentalem sim pliciter

pliciter sacramentaliter, hoc est, de effi-  
cacia ipsius in creditibus cum ista  
cæremonia ministerij intelligimus.  
Isti econtrà ista absonta de vniione ve-  
ri corporis cum pane, extra & præter  
verba Euangeli proponunt, vt neces-  
se sit ea refutare. Quare sciant nos nō  
mysteria Dei, sed somnia conficta ex  
imaginatione humana, & pugnantia  
cum articulis fidei scrutari & damna-  
re, atque ita se accusatent. Postea-  
quam ostensum est, quæ sit congruen-  
tia harum opinionū, nunc causas re-  
citabimus, quibus mouemur, vt ab il-  
lis dissentiamus. Valde autem ora-  
mus omnes, qui pia cum modestia ve-  
ritatem quærunt, ne credant, nos cu-  
riositate, aut quia ex philosophia nos  
decipi patiamur, ab ipsis dissidere. Est  
quidem hæc oratio plausibilis apud  
populum, qui odit artes, & cuius iu-  
dicia solēt esse de literatis, quale fuit  
Midæ de Apolline: sed profectò cè  
magis delinquunt isti δημόγοι, qui  
& optima studia propter popularem  
auram traducunt, & falsis criminibus

innocentes deformant. Dulce est plē-  
 bi audire, eos rideri & premi, qui sunt  
 in existimatione sapientiæ, perinde  
 vt veteri versu dictum est: Mures sua-  
 uiter vesci carnibus feliū. Auidè has  
 & similes voces arripiunt, ipsos vesci  
 nucleo, reliquias verò tanquā porcis,  
 putaminā obijci. Certè & nos ciues  
 Ecclesiæ Christi, non verò sectatores  
 Epicuri sumus, etsi nunc hoc ipsum  
 nomen Christianum nostris penè de-  
 trahatur, tale enim est seculum. Cùm  
 igitur in alijs articulis fidei Deo selec-  
 pate facienti in suo verbo, reuerenter  
 assentiamur, & fateamur doctrinā Ec-  
 clesiæ esse sapientiam ignotam omni-  
 bus creaturis, prolatam verò ex sinu  
 æterni Patris per Filium, an hunc no-  
 strum oratorem in uno solùm capite  
 argueremus mendacij, & ipsius ordi-  
 nationi nostras ratiocinationes op-  
 ponere statueremus, quę alioqui au-  
 dimus in omnibus? An nō in ista ipsa,  
 vt ita dicam, noui fœderis sanctione  
 sonamus & credimus talia, quę longè  
 non modò superant rationis iudiciū,

sed

sed illi planè aduersantur? An ex natu  
 rali luce statuere possum, mihi ad hæc  
 sacram cœnam accedenti, & fide in-  
 tuenti Mediatorēm, hæc sumptione  
 donari & ob signari vitæ æternæ hæc  
 ditatem, ita vt ego peccatis horribili-  
 bus pollutus, ex faucibus Diaboli &  
 æterna morte ereptus, transferar in re  
 gnum filij Dei, cuius corpori, tanquā  
 proprium membrum suo capiti, inse-  
 ror, cui efficior conformis, immuta-  
 tus mutatione vera & reali in anima,  
 & ita, vt etiam corpus redactum in ci-  
 neres, resuscitandum sit ad vitam per-  
 petuam & beatam? Suntne hæc philo-  
 sophica? Suntne hæc putamina? Quæ  
 cum firmo pectore amplectar, & filio  
 Dei laudem iustitiae, misericordiae &  
 omnipotentiae tribuam, qui & immu-  
 tabilem diuinæ iustitiae legem firmio-  
 rem, quam est ordo physicus vniuersæ  
 naturæ, flectit & mutat, an non crede-  
 rem eundem alia quæcunque vult, fa-  
 cere posse, si hoc esset patefactū? Desi-  
 nant igitur concionatores nos accu-  
 sare, quasi de absurdo physico pugne-

H 5 mus;

mus; pugnamus, ut verum maneat, ¶ Christus definijt, ut phrasis Sacramentalis iuxta mentem autoris intelligatur, ut nō assuantur interpretationes pugnantes cum articulis fidei & cum tota antiquitate. Quia verò suprà mediocri perspicuitate fundamenta causa integrè proposuimus, nunc ex ijs capitibus rationes deducemus.

**L.** Instituit Christus Sacramētum, id est, externum ritum, testificantem de promissione Euangeliij. Nulla igitur alia præsentia constitui potest nec debet, quām illa, quæ est præsentia Sacra mentalis, vel præsentia ministerij, qua Christus efficax est in cordibus piorum. Iam illa vnio veri corporis cum symbolis toto genere diuersa est à ratione formalis sacramēti. Cū enim, vt optimè docuerunt Veteres, sacramenta ex duplii constent parte, terrena & cœlesti, siue, vt recentiores loquuntur, ex signo & re signata, certè corpus Christi verum nec res terrena, nec signum est; non enim incurrit in sensus. Si dicant esse rem cœlestem

vel

vel signatam, quæro, vnitur ne vera  
 & reali illa præsentia homini, an ve-  
 rò cessante actione definit substantia  
 lis præsentia? Plurimi & saniores me-  
 ritò abhorrebat ab illa substantiali trāf-  
 fusione & commixtione naturæ hu-  
 manæ Christi. Hi verò, qui vnà cum  
 Enthusiasta Silesio docere audent, e-  
 tiam secundum humanam naturam  
 verè & substantialiter Christum ad-  
 esse in cordibus piorum, hi monen-  
 di sunt, vt discant τὰ ἔνθημα loqui.  
 Nam profectò de talibus verum est:

*Incidit in Scyllam, qui vult vitare Cha-  
 rybdim.*

Promissiones de vniōne nostri cum  
 corpore Christi nequaquā stabiliunt,  
 illam Enthusiasticā & Schvvenckfel-  
 dianā deificationem, alienam à voce  
 diuina, sicut suprà satis ostensum est.  
 Inserimur viuifco corpori Christi, i-  
 pso λόγῳ effundente in nos de suo spi-  
 ritu, vt hoc vinculo ipsi colligati, ex e-  
 ius corpore hauriamus lætitia & vitā,  
 vt talia in nobis fiant, qualia λόγος in  
 ppria sua massa efficit; perinde sicut  
 in

in homine ex fonte vitae per interme-  
 dios canales vitales halitus ad omnia  
 membra propagantur, quorum bene-  
 ficio communis vita cum corpore fru-  
 untur, et si longe a corde vel capite ab-  
 sunt. Haec deinde corporali unioni,  
 qua nobis est cum Mediatore, vere  
 transferimur ad unionem spiritualem  
 cum tota divinitate. Talis enim est  
 Deus, qualis est imago fulgens in Fi-  
 lio, nato ex virgine, & ad eandem nos  
 oportet transformari, ut Deo effica-  
 mur conformes; in hac quidem vita  
 per inchoationem, per consummatio-  
 nem verò in altera, ubi Deus erit omnia  
 in omnibus. De hac duplici unione lo-  
 quuntur dicta scriptura: Ego sum vi-  
 tis, vos palmites; Nemo carnem suam  
 odio habet, sed eam nutrit & seruat,  
 sic & Dominus Ecclesiam: Caro mea  
 verò est cibus: Effundā de Spiritu meo  
 super omnem carnem. Item, Venie-  
 mus ad eum, & mansionem apud eum  
 faciemus. Interea tamen expressè do-  
 cet vox diuina, nullam confirmari sub-  
 stantiarum Dic & hominis mixtio-  
 nem

nem vel coniunctionē physicam, sic-  
ut nec ipsa beneficia physica sunt, vel  
physicæ actiones. In Christo habitat  
Diuinitas σωματικῶς, in alijs omnibus  
effectiū. Et de natura humana Chri-  
sti dicitur. Relinquo mundum, & va-  
do ad patrem. Item: Christus sursum  
est. Et firmissimè tencatur hæc propo-  
sitio: Eadem ratione Christus habitat  
in Abraham & in Paulo. Reiecta ista  
communicatione physica naturæ hu-  
manæ, infero, verum vel esse esse cor-  
pus esse rem cœlestem, nō rem signa-  
tam, quæ vñā cum symbolis homini  
exhibitetur: sed res cœlestis, res signata  
est illa κοινωνία, illa Societas, quæ con-  
trahitur inter pios & corpus Christi,  
tanquam inter caput & membra. Iam  
si illa substantialis præsentia veri cor-  
poris definit, manifestum est, quod  
pars aduersa constituit præsentiam in-  
utilem homini, & ita alienam à natu-  
ra Sacramenti, atque quod ipsis Chri-  
stus verè adest tantum propter panem,  
non vero propter hominem. Osten-  
dant, aio, quis sit iesus illius veri corpo-  
ris,

ris, quod adest cum pane. Si concionā  
 buntur de efficacia, sciant illa à no-  
 stris tradi explicatiūs & dulciūs, atq;  
 ita nos fateri omnia; sed quærimus,  
 quid noui aut quid singulare afferat  
 illa præsentia. Hic quidem plurimi  
 obmutescunt, nonnulli verò dicunt,  
 Deo ordināti obtemperandum esse,  
 nec semper quærendam causam. Hi  
 sciant, valde incircumspectè hoc dici.  
 Nam cùm ministerium & omnes par-  
 tes ministerij propter hominem insti-  
 tutæ sint, certè vult Deus, vsum illius  
 ordinationis homini esse notum. Sa-  
 pientia Euāgelij arcana est, nec in hac  
 vita exauriri potest, sed ministerij v-  
 sus, quod tantum propter infirmita-  
 tē huius vitæ institutum, & desitu-  
 rum est in nouo regno coelesti, notif-  
 icimus debet esse pijs. Sed alij rursus ex-  
 cipient, hanc præsentiam utilem esse  
 ad excitandam fidem, & acuendam  
 reverentiam in sumentibus. Respon-  
 so: Deus vt mederetur humanæ in-  
 citati, instituit externa signa, qua-  
 ent testimonia suæ voluntatis et  
g2

ganos. Ut igitur in actione baptismi, admoniti illo externo spectaculo cogitare debemus, sicut in baptismo Christi, ita in nostro etiam verè esse apertos cœlos, & nos in gremium Ecclesiae recipi: Ita in sacra cœna visibilia signa debent nobis esse pignoris & testimonij loco de societate, quæ nobis est cum corpore Christi, ex qua pulsulum vitæ æternæ haurimus. Signa igitur visibilia sunt instituta, ut excilient & confirmant fidem de re inuisibili & cœlesti. Quæ verò de reuerentia declamitant, sciant explosa esse seuerissimo mandato Dei, qui vetat aliquem cultum instituere propria autoritate. Hoc si nobis non obstaret, mallemus retinere Missam Pontificiam, quæ multò augustior pompa, & etiam ad excitandam reuerentiā magis idonea est; sed mentem oportet regi verbo Dei, & fidem niti beneficio Mediatoris, qui vult coli in spiritu & veritate.

His ita cōstitutis, cūm usus manducati corporis nullus sit, quælibet autem

tēm res habeat suam denominationē  
 à fine, manifestum est, Christum hac  
 ratione non esse præsentem propter  
 hominem. Quia tamen pani accedit  
 ille substancialis respectus, videlicet,  
 quod cum pane adest verum corpus,  
 reuera mutatio quædam pani acci-  
 dit, & ita propterea panem, nō propter  
 hominem Christus præsens est. Qua-  
 re non pontificis, sed istam caterua  
 hæc aurca regula, quam Lütherus e-  
 tiā probauit, respicit. Pontificijs sub-  
 stantia pani euauit, & Christus ad-  
 est, ut ibi fiat oblatio. Quod vero com-  
 muniter excipiunt omnes, huic Sacra-  
 mento inesse prærogatiua, hoc o-  
 stendant. Quia, si hæc assuitur præro-  
 gatiua, iam non est sacramentum, sed  
 singulare numen, quod nunquā euin-  
 cent. Adest filius Dei sacramētis, ut in  
 ministerio, & quod ad effectū attinet,  
 in Baptismo & Cœna similiter adest:  
 Sed modus ex diuersitate symbolorū  
 vtcunque discerni potest, sicut supra  
 dictū est. Neglecta vero præsentia Sa-  
 cramētali & præsentia efficaciam, velle  
 statuerē

Statuere præsentiam Essentialē, vel  
unionem Essentiæ humanae cum pa-  
ne, est cuertere Sacramentum, & con-  
stituere rem toto genere à natura Sa-  
cramentorum differentem. Cogitent  
illi, qui sunt attenti, Sacra menta esse  
visibilia signa beneficiorum, quæ offe-  
runtur in promissione Euangeli. Nō  
igitur in hoc Sacramento alia præsen-  
tia vel alia māducatio corporis Chri-  
sti instituitur, quām ea, quæ docetur  
in Euangelio, quod nusquam sancte  
manducationem realis corporis. Hec  
igitur prima nostra esto ratio, sumpta  
à mente Christi instituentis hunc ri-  
tum, & à ratione formalī Sacramen-  
ti, quæ certè in omnibus, qui nō sunt  
fascinati incommodis opinionibus,  
potentissima est.

II. Planè cuerit hæc interpretatio  
doctrinam de veritate naturæ huma-  
næ in Christo, quā vetus Ecclesia lon-  
go & acerrimo bello cōtra Eutychen  
explicauit & cōfirmauit. Sicut enim,  
teste ipso Luthero, damnatus est Eu-  
tyches, non quod Christum adhuc ne-

garet esse hominem, sed quod ipsi necessarias proprietates corporis adimere, & ita, ut ipsius Lutheri verba retineam, rudis esset, ut non posset ducere hoc argumentum: Tollens proprietates, tollit naturam: Ita profecto similis est nostrorum aduersariorum vel inscitia vel temeritas. Panis est verum corpus, vel essentiale corpus Christi, aiunt. Oramus igitur illos, ut vnicam proprietatem corporis ostendant. Dicunt, habet carnem & ossa. Excipio, cognouisse te oportuit, carnem & ossa non esse proprietates, sed partes integrales substantiae hominis. Harum igitur partium, quae te, vel vnicam indicato proprietatem. Neque rursus in visitatum te proripias diuerticulum, Philosophicum hoc esse: aio hoc esse Christi, qui probat suam massam esse corpoream, eò quod sit visibilis & tangibilis. Si igitur docere possunt testimonio diuinæ vocis, uspiā in scriptis Propheticis & Apostolicis, substantiam, quæ spoliata sit & careat omnibus proprietatibus corporis, corpus appell.

appellari, iam victi sumus. Plæriq; val-  
de delectantur illo commento dē il-  
localitate, vt nominant, & ludificātur  
nos, quod nesciamus locum esse quid,  
accidentale: sed quæ ista est audacia  
singendi subinde noua portenta sine  
autoritate verbi diuinī? Vbi locorum  
scriptum est, corpus Christi fuisse aut  
esse sine loco, vel esse illocabile? Con-  
trarium docuit vox diuina & antiqui-  
tas perspicuè. Licuit ne igitur illis in-  
uehiceret vel cedere nouū dogma igno-  
tum antiquitati? Deinde monemus  
eos, vt paulò accuratiū ediscant phy-  
sicam, aut si non didicerunt, saltem  
non cōtemnant, quæ assequi non po-  
tuerunt: *βλαχη μεν* & Aristopha-  
nicum hoc est. Age igitur, et si fortas-  
sis ridemur, tamen & nos patientiam  
Socratis imitati, paulūm cū ipsis phi-  
losophabimur; fortassis enim hinc a-  
liqui cordatores vanitatem horū so-  
miorum agnoscent.

Quandounque nominatur loca-  
tio, vel, esse in loco, sciendum est, non  
tātūm nos loqui de spatio, quod cor-

pus recipit & complectitur. Nam hoc  
est quid extrinsecum & alienum à na-  
tura corporis, sicut etiam in vacuo, v-  
bi nullus locus est: tamen corpus re-  
uerà corpus esset, et si nullum esset spa-  
cium ambiēs, vt quidem aliqui ex an-  
tiquis perperam senserunt. Sed loca-  
tio primò & propriè respicit ipsam  
formā substancialē corporis, videlicet  
dimensiones, vel potius est quid  
idem cum istis. Nomina enim dimen-  
sionum, longum, latum, & profundū,  
nihil aliud significant, nisi extensi-  
onem, & intrinsecam locationem par-  
tium corporis. Quare ista propositio:  
Omne corpus est locabile, vel, necesse  
est esse in loco, est necessaria non ne-  
cessitate physica, sed necessitate defi-  
nitionis. Sciunt autem mediocriter  
instituti, hūc gradum necessitatis, qui  
nominatur definitionis & demonstra-  
tionis, esse immutabilem & planè vi-  
cinum primo, in quem collocantur  
propositiones de Deo, quod Deus in  
natura ita sanxit, ne fiat implicatio  
cōtradictionum, sed certò posset dis-  
cerni

cerni veritas à mendacio. Si trigonus  
 non habet tres angulos, non est trigo-  
 nus: ita si aliqua substantia non habet  
 illas extensiones & distantias partiū  
 in longum, latum & profundum, non  
 est corpus, neque debet appellari cor-  
 pus. Interea excipiunt aliqui ineptè,  
 locationem referri ad necessitatē defi-  
 nitionis, quia hoc modo definitionē  
 hominis talem futuram: Homo est a-  
 nimal existens in loco. Hos igitur pla-  
 cidè in Logica, si modò ipfis non cie-  
 tur nausea, erudiemus. Scire oportet  
 literatos, in definitione aliam es-  
 se differentiam genericam, aliam spe-  
 cificam. Differentia genericā sub no-  
 mine generis comprehenditur. Vbi  
 dico: Homo est animal, intelligo ho-  
 minem esse substantiam corpoream,  
 quæ habet dimensiones. Satis est igi-  
 tur exprimere differentiam specificā  
 illius speciei, quæ tunc definitur. In  
 hanc necessitatem ordinis immotam  
 cùm quidam ex scholasticis respice-  
 rent, pronunciarunt, ne quidem per  
 potentiam diuinā effici posse, vt cor-

pus non habeat extensiones vel loca-  
 tiones dimensionum; quod cum qui-  
 dā recēns imitati essent, iudicati sunt  
 à nostra noua Sorbona peccasse pec-  
 cato blasphemiae. Sed animaduertere  
 poterant, nihil aliud dici hæc proposi-  
 tione, nisi hoc: Deus nunquā facit cō-  
 tradictoria: quia est verax, perinde sic  
 ut impossibile est dari contrarium hu-  
 ius propositionis: Deus est iustus. Ita  
 necessitas definitionum etiam immu-  
 tabilis est. Interea ubi ipse vult, destru-  
 it rerum substantias, cum quibus defi-  
 nitiones & omnes proprietates euā-  
 nescunt: Verūm omitti potest & hæc  
 locutio propter peruersitatem expo-  
 sitionis. Credo prudētibus propemo-  
 dū me satisfacere, sed plāriq; alij ca-  
 tilenam eandem canūt, Aristotelicū  
 hoc esse, neq; scriptum in Codice Bi-  
 blico. Rursus respondeo. Natura &  
 ordo naturalis sunt opera Dei, ita cō-  
 dita in prima creatione. De illis igi-  
 tur, quæ natura ita ordinata sunt, nō  
 concionatur Euangelium, sed loqui-  
 tur de alia sapientia, quæ est supra &  
extra

extra ordinem naturæ. Doceant igitur illi ex sermone diuino, contra immotum ordinem creationis, corpus nominari substantiam quæ caret dimensionibus, & corpus aliquod aut sine loco, aut ubique esse posse. Et rursus contra hæc somnia citamus argumentum, quod Christus ex hoc ordine naturæ de veritate suæ naturæ humanæ dicit. De cœlo plana est responsio. Aristoteles docuit unicum esse mundum. Ex hac igitur hypothesi ratiocinatur, extimam superficiem cœli non circundari alio corpore. Interea non negat locationem intrinsecam & extensionem dimensionum ipsius cœli. Imò Peripatetici posteriores addūt recte, universum cœlum etiam quo ad respectum extrinsecum in loco constitui. Sed cum hæc ætas, ea quæ nō intelligit, soleat nominare argutias, ideo mittemus ista, & veniemus ad miracula Theologica. Corpus Christi, inquiunt, ambulauit super aquas, ingressum est per ianuas clausas, per lapidem monumeti, sublatum est sursum in aërem. Si igitur

In penetratione dimensionū corporis Christi sunt ademptæ dimensiones, & alio tempore grauitas, cur non per omnipotentiam Dei posset adimilatio? Respondeo: Ferme assentior illis, qui aiunt, ineptos physicos in rerum naturalium cōsideratione, ad causas occultas, vbi nihil opus est, similes verò Theologos ad omnipotentiā Dei configere. Non queritur, quid Deus possit, sed quid velit. Et addimus: Nō potest, quia nō vult: alium enim instituit ordinem. De miraculis breuiter respondeo: Nō affirmat vox Diuina, Christum ingressum per ianuas, aut exiisse per lapidem, nec omnes ex veteribus hoc ita exponunt. Diciture, nīm stetisse in cœtu discipulorum ianuis clavis, & mulieres inuenisse lapidem reuolutum. Sed, sicut sumus benevoli, largiamur hoc illis, quid inde extruitur? An corpora tunc amississe suas dimensiones? Nequaquam: sed mutatam qualitatem texturæ in corporibus, id est, ex denso factum esse rarum ut possit cedere; sicut aer circumfusus

fusus cedit nostris corporibus, & ta-  
men corpus est. Ita aut aqua desijt tunc  
esse mollis, aut corpus Christi ponde-  
rosum, ut posset retineri in sphæra aë-  
ris supra aquam. Fortassis etiam cor-  
pora beatorum, quæ vox diuina com-  
parat cœlestibus, mutata illa materia  
terrestri, feretur sursum, & tamen cor-  
pora erunt. De igne Babylonico hoc  
tantum addo: Ignis ille reuera cali-  
dus erat in sua substâlia, nam alioqui  
ignis non fuisset; sed hic respectus ex-  
trinsecus ei adimebatur, videlicet, ne  
posset vrere corpora Hebraorū. Qua-  
re hæc exempla planè nihil eos suble-  
uant. Conclusio igitur nostra hæc est:  
Quia Deus in sua voce vtitur nostris  
vocabulis, & vult sese intelligi; Vox di-  
uina autem & antiquitas consentien-  
tes testantur, Christum retinuisse cor-  
pus verum cum necessarijs proprietati-  
bus corporis: Ideo execramur con-  
fusiones Eutychianas eorum, qui vel  
semper, vel in hac dūtaxat actione at-  
tribuunt Christo corpus spoliatū o-  
mnibus proprietatib' corporis, quod

nullas habeat dimensiones, quod sit  
 ubique, & cui proprietates soli diuinæ  
 naturæ propriæ, realiter impressæ sint.  
 Declaratio nostra hæc fuit: Corpus  
 definitur esse substantia, quæ habet di-  
 mensiones longi, lati & profundi. Per  
 inde igitur, sicut sermo diuinus aqua-  
 nunquam nominat ignem: ita nun-  
 quam nominat substantiam spiritua-  
 lem corpus, quia Deus verax est. Testi-  
 monia huius propositionis de verita-  
 te perpetua naturæ humanæ suprà re-  
 citata sunt, & si fortasse crameret  
 ea eos explere posset, repeto hoc &  
 est illustrissimum. Sicut Christus ar-  
 gumentatur: Hæc massa habet pro-  
 prietas corporis. Ergo est corporea.  
 Ita ego induco: Ista substantia de qua  
 loqueris, nullas habet proprietates  
 corporis. Ergo non est corpus. Memi-  
 nerimus etiam dictum esse ab Augu-  
 stino, cum qui spacia corporum tol-  
 lit, corpus sustulisse, neq; tamen Au-  
 gustinum blasphemū esse. Sed in epi-  
 logo huius disputationis hortamus  
 rursus saniores, colligant se, & agno-  
 scant,

scant, quam turpiter sibi ipsis contradicant. Corpus Christi, inquit, sacramentaliter, id est, vere & substantialiter unitum est pani, vere & substantialiter praesens est sumenti in usu. Extra usum institutum, extra illam actionem, eo modo praesens non est. Iam, quæso te, an non est haec circumscription, vel inclusio localis vel temporalis? Sumenti cum pane praesens est, non sumenti praesens non est, an non hoc est determinare locum & tempus presentiae? Aperiatur Deus illis oculos. Indicent igitur nunc prudentes, an recte traducamur ad plebem, nos de absurditate rationis pugnare. Preliamur de gloria & veritate naturæ humanæ in filio Dei, ut sine dubitatione statuere possimus, carnem nostram collocatam esse ad dexteram Dei, eamque regnante in arcana luce Dei, sine ulla conversione aut mutatione unius naturæ in alteram, cui carni in hac vita inde per Spiritum sanctum glutinamur realiter & substantialiter, tanquam membra capiti, quem deinde  $\alpha\chi\eta\gamma\sigma\pi$  nostræ

**n**ostræ salutis in resuscitatione mortuorum, oculis etiam corporalibus contuebimus, quem etiam coram audiemus in cœtu beatorum hominum & Angelorum, de sapientia & voluntate æterni Patris & de suis beneficiis differere. Imò in quo conspiciemus, tanquam in perfecta imagine, lucere integrum ideam sapientiae & bonitatis diuinæ, atque causas & consilia omnium mirabilium operū intelligimus, viuētes vita beata, æterna & gloriosa. Ad hunc nostrum mediatorem, cum sciamus nos esse carnem ex calce ipsius, & os de ossibus eius, lætiaccedimus, fide petentes & expectantes vitam & gloriam, quæ in ipsius corpore fulget. Neq; hanc dulcissimam consolationem nobis eripi patimur somnijs Enthusiastarum, aut aliorum, qui Christo corpus, toto genere à nostro diuersum, circundant.

III. Moueat præterea omnes pios, consideratio horrendæ profanationis, quæ hinc extruitur & stabilitur, ut ab istis alienis & periculosis interpretationi-

tionibus abhorreant. Opinio sacrificij & oblationis in coena pro viuis & mortuis primum in causa fuit, ut ipsa cæremonia in numen verteretur, posita vero presentia illa reali vel veri corporis, non difficile est abusus istos omnibus excusare & defendere. Et profecto, qui inter pontificios sunt callidiores, intelligunt valde speciosos hinc depromi pro sua causa colores: sicut ostendunt historiæ superiorum annorum, quando lites motæ sunt de sacrificio Missæ. Recte à nostris reiicitur oblatio & applicatio per opus sacerdotis in Missa Pontifícia, propterea, quod nullus cultus instituendus est sine mandato Euangeli, & quod ista profanatio cœnæ pugnet cum natura & institutione Sacramenti. Sed quid si prudentes inter aduersarios, ut certè faciunt, excipiāt hoc pacto: An nostra sententia de presentia veri corporis ista omnia stabilit? Deducatur hoc. Primum, mandatum generale est sine villa dubitatione, ut persona Christi adoretur. Iam si in illa actione praesens

sens est, & substantialiter adest filius  
Dei secundum utramque naturam, di-  
uinam & humanam, non dubium est,  
illi tribuendum esse honorem inuo-  
cationis. Hic pars nobis aduersa di-  
ducitur in duas sectas. Quidam enim  
apertè fatentur, aut necessariam esse  
adorationem in sumentibus & spe-  
ciantibus, aut saltem liberā. Ideo pro-  
ponunt tales formas: Iesu Christe,  
qui cum pane & vino substantialiter  
præsens es, & sumenti tuum corpus &  
sanguinem exhibes, inuoco te. Atq;  
hi certè ingenuè agunt. Vident enim  
se nō posse euadere. Sed sunt alij pau-  
lò cautiiores, illi tergiuersantur, & in  
miras se trāsformāt species, vt Pro-  
teus. Verū & istos vinciamus. Pro-  
ponunt ista duo.

I. Mandatum esse sumptionem, nō  
adorationem.

II. Christum nō esse locali inclusio-  
ne, vel durabili præsentia alligatū ad  
symbola: Ergo non posse ad illum lo-  
cum dirigi inuocationem. Primū  
respondeo: Sicut Thomæ non erat  
opus

Opus peculiari mandato, quod cogere  
 ret eum inuocare Christum, sed satis  
 erat ipsi notum esse vniuersale: Ita in-  
 stitutio, ut mādatum particolare, nō  
 tollit, sed potius comprehendit vni-  
 uersale de adoratione Christi. Sed p̄  
 terea expressè præcipitur commemo-  
 ratio, quæ præcipue complectitur in-  
 uocationem. Non dubium est igitur,  
 piam esse adorationem. Altera etiam  
 obiectio reuerā nulla est. Quascunq;  
 te vertas in species, etsi panis non est  
 locus corporis Christi, quod nec ipse  
 Aquinas docuit: tamen est vnio sacra  
 mentalis, sicut ipsi intelligunt, corpo-  
 ris cum pane, vel substancialis respe-  
 cta inter pānem & verum corpus.  
 Hoc manifestum est ex manducatio-  
 ne indignorū, qui cum pane ore car-  
 nali manducant verum corpus, etsi il-  
 lis nō communicatur efficacia. Ergo  
 cum in ista actione vel administratio-  
 ne singulari & substanciali præsentia,  
 sit tota persona Christi, dico eō, non  
 quidem ad panem, sed ad Christum  
 cū pane præsentē, necessariō dirigen-  
 dam

dam esse inuocationē, sicut cūm p̄ce-  
 deret in cruce, vel cūm staret medius  
 inter discipulos & Thomam. Nec ista  
 prodigiosa illocalitas te potest libera-  
 re. Regula enī verissima est, q̄ mira-  
 culā in corpore Christi edita, honorē  
 Christo debitum non detrahunt. Sic  
 ut igitur ambulans super aquas inuo-  
 candus erat: Ita præsens in ista actio-  
 ne, non extra, vera inuocatione ab o-  
 mnibus qui adsunt, cōpellandus est.  
 Imò repeto hoc, quod paulò superiùs  
 indicatum est: Illi ipsi huius nouæ il-  
 localitatis architecti, insciēter, vel in-  
 uiti etiam, inclusionem localem po-  
 nunt, quia cum pane sumenti adēst a-  
 liter, quām alijs qui non sumunt. Ad-  
 do hoc, illi qui pugnant de reali, vera  
 vel substantiali naturæ humanæ trā-  
 fusione, si oculis suis discernere pos-  
 sent sanctos ab hypocritis, personæ  
 Christi secundum vtramq; naturam  
 substantialiter harenti in pijs debe-  
 rent adorationem. Si igitur mandata  
 & necessaria est adoratio, oblatio grā-  
 am, quæ nihil aliud est, quām petitio  
 inter.

intercessionis, bona & sancta est. Cur  
non diceret igitur Ecclesia conuersa  
ad panē: Fili Dei, qui cum his symbo-  
lis verè & substantialiter ades, misere-  
re mei, & intercede pro me? Item, cur  
in ista actione sacerdos non ita allo-  
queretur Deum: Aeterne Pater, sisto  
tibi æternum Filium tuum, & oro te,  
exaudiās me, & omnium astantiū pre-  
ces, per & propter eum, sicut olim vī-  
tatum fuit supplices regibus ostende-  
re ipsis filios? Concessa oblatione &  
adoratione profectò pium & sanctū  
opus est cumulare Missas, ut in astanti-  
bus acuatur reuerentia, & ardentior  
fiat inuocatio conspectu præsentis  
Christi. Neque quid mali sit in priua-  
ta Missa, facile isti ostendere poterūt.  
Nam sacerdos communicat, populus  
dicit precationes, & nō putatur refer-  
re, siue multi siue pauci sint, qui su-  
mant. Ex tali igitur fomite pingi &  
propagari potest illa horribilis idolo-  
mania, qua tot seculis filius Dei affe-  
ctus est contumelia inenarrabili, de  
qua ita ardenter querebatur saepē illa

K dulcis

dulcis & beata anima Philippus, cùm  
 genas suas vbertim pijs lachrymis ri-  
 garet, & dicere soleret: nūquam satis-  
 fieri posse suo dolori, quem multis an-  
 nis secum circumferret propter hoc  
 graue vulnus de profanatione sacra  
 cœnæ, non solùm apud hostes verita-  
 tis, sed etiam in illo cœtu, qui haber-  
 nomen Ecclesiæ. Obtestamur enim  
 omnes, qui amāt gloriam Christi, cir-  
 cumspiciant, quid fiat etiam in Eccle-  
 sijs emendatis. Monetur populus, &  
 rectè, vt frequēs sit usus cœnæ, sed pro-  
 fectò interea plurimi planè profani  
 accedunt tantùm ex consuetudine,  
 prorsus non cogitantes quid agatur.  
 Alij etiam mouentur metu pœnaru-  
 aut infamiæ, vt imitentur exempla a-  
 liorum, etsi sunt sine pœnitentia. Plu-  
 rimi etiam, qui piè & rectè sentire vi-  
 dentur, in sua conscientia signis alli-  
 gationem aliquam quasi physicam iu-  
 stificationis, & opinionem meriti as-  
 suunt. Et quamuis laudamus eam cō-  
 suetudinem, quòd etiam priuatim ad  
 ægrotos defertur sacra cœna (nam nō  
 solùm

solum publicæ cōgregationis neruus  
 est, sed primò & principaliter ~~noītūtā~~  
 Christi & sumentis, & extat in hoc ca-  
 su exempla vetustatis:) tamen nō pro-  
 banda est hæc opinio nata ex merito,  
 quasi ille, qui fortè expirauit non per-  
 cepta cœna, membrum Christi non  
 fuerit, cùm rectè dictum sit à Veteri-  
 bus: Crede & manducasti. Item, Non  
 priuatio, sed contemptus Sacramen-  
 torum damnat. Hæ certè sunt pro-  
 fanationes sacri huius mysterij, sed a-  
 lia sunt grauiora. Examinet quilibet  
 suam conscientiam, an non vel hæsel-  
 lit, vel hereat in tali cogitatione, quā-  
 dore citantur verba institutionis vel  
 consecrationis, vt nominant illa ver-  
 borum pronūciatione quasi tremen-  
 da, fieri mutationem panis, & iam ve-  
 rum corpus Christi essentialiter præ-  
 sens esse; perinde sicut voce Mosis  
 baculus vertebar in serpentem. Af-  
 flicti sumus ad illam sententiam à  
 teneris, ideo ea etiam à doctis non fa-  
 cilè exuitur. Populus verò qui stupi-  
 dior est, nullo modo intelligit, sym-

bola ea omnem suam seruare naturā,  
nec facerdotem facere mutationem  
panis, interea verò in corde sumentis  
efficacem esse filium Dei; sed auribus  
& oculis hæret in panis intuitu, illum  
veneratur animo, gestu & adoratio-  
ne. Scio hanc orationem multis esse  
ingratam, quia natura nobis suaves  
sunt veteres ritus: sed cùm extet seue-  
rissimum mandatum primi præcepti,  
vt fugiamus idola, illudq; anteponen-  
dum sit omnibus rebus humanis, cur  
nō opera datur, vt omnis occasio ido-  
lolatriæ præcidatur?

Sanctissimus vir Philippus, nō mul-  
tò ante mortem, cùm gemens hæc Ec-  
clesiæ vulnera deploraret, dixit, singu-  
lari & arcano Spiritus sancti consilio,  
in concione Paulina proximè ante  
disputationem de Cœna, positam es-  
se hanc grauissimam prohibitionem:  
Fugite idololatriā, vt significaretur,  
tetras & idololatrías secuturas esse  
confusiones huius sacramenti, & pīj,  
moniti hac seuera voce, quererent de  
vero ysu. Sit in spectatoribus pia reue-  
rentia

rentia, quæ proficiscatur ex vera do-  
 ctrina de vñ Cœnæ, sed adoratio ad  
 panem & gestus significantes eam, re-  
 iiciatur. Vetus Ecclesia post publicas  
 preces assidens ad mensam, vesceba-  
 tur his symbolis, tūc nemo se prouol-  
 uebat ad panem aut poculum, tunc  
 nemo attollebat aut ostendebat pa-  
 nem populo tanquam corpus Chri-  
 sti. Et quamuis isti ritus sint sua natu-  
 ra medijs: tamen cùm hactenüs occa-  
 sionem idolatriæ præbuerint, erant  
 taxādi & abolēdi. Rogamus omnes  
 qui iudicare possunt, crederént ne, si  
 Paulus apostolus, aut alijs ex suis nūc  
 viuens, immiseret se cœtui, vbi admi-  
 nistratur cœna, an hunc ritum agno-  
 scerent? Ego nullo pacto adducor, vt  
 credam. Ita nimirum degeneramus.  
 In hæc mala cùm intuerētur quidam  
 docti viri, semper hoc certamē, quod  
 hisce annis motum est, nominarunt  
 controuersiam ῥριτολατριæ. Non  
 enim existimandum est, hanc accusa-  
 tionē ad solos pertinere pontificios.  
 Nequaquam ita rude est agmen Pon-

tificium, ut præ se ferat, creaturam se-  
se inuocare; sed Christum velatum il-  
lis panis accidentibus adorare se se-  
junt. Ita pars aduersa velit nolit, fatea-  
tur necesse est, Christum suo corpore  
realiter cum pane in actione vnitum,  
vera adoratione esse compellandum.  
Sed cogitent piæ mentes, quām tetra-  
hæc sit impietas, Christum corporali  
præsentia ad creaturam alligare, & ita  
cultum adorationis sine mandato E-  
uangelij instituere. Veri adoratores  
adorabunt Patrem in Spiritu & veri-  
tate. Accedamus igitur ad Domi-  
num nostrum Iesum Christum fide,  
non quæramus eum in corporalibus  
elementis panis & vini: ab eo regnan-  
te ad dextram æterni Patris, & dante  
dona hominibus, petamus bona æter-  
na & corporalia, & nominatim in hoc  
ysu, hoc est, ut in hac sumptione velit  
in nobis esse efficax, nos gestare & ser-  
uare tanquam membrum sui capitinis,  
& carnem suæ massæ humanæ cognati-  
tani & insertam.

Posteaquam recitauimus, quare  
non

nō recipiamus expositionem natam ex reliquijs transubstantiationis, nūc etiam argumentis ipsorum, vt omnes scrupuli eximantur, breuiter respondebimus.

Primum, & illud quidem, vt iactatur, vel insoluble, vel ἀσύστατος: Hoc corpus datur, quod pro nobis est traditum. Pro nobis est traditum corpus verum. Ergo datur nobis corpusverū. Sciendum est esse argumētum Scoti, neq; enim nullus defraudandus est suo honore. Respondeo: Concedo totū argumentum. Datur nobis verū corpus eo modo, quē Christus instituit. Modus verò sacramētalis est; talis igitur præsentia, talis phrasis, & locutio. Particula, Quod pro vobis traditur, additur, vt sit communefactio de applicatione & de beneficio illius corporis, cuius hæc sumptio debet esse σφεργιά. Corpus enim Christi nostrū fit merito & efficacia. Et si cæcitas est curabilis, monstrō illis sanationem. Altera particula manifestè declarat priorem. Neq; enim communicatur

nobis corporaliter ille sanguis, qui effusus est, sed fit ob-signatio, propter nos factam esse eam effusionē. Quare utrobique non Numen, sed Sacramē-tum instituitur, & locutiones sacra-mentales sunt, non verò essentiales aut inusitatæ.

II. Achillē sequitur Helena θια γυναικῶν. In dictis scripturæ semper est reti-nendum τὸ πρότον, nisi ubi alio in loco expressè ponitur negatiua. Non extat negatiua huius propositionis: Panis est verum corpus. Ergo vera est propo-sitio. Respondeo: Nego minorem. Quia tres articuli fidei eam negant, & omnia dicta illorum articulorum.

1. Christus retinet verum corpus. Ergo corpus spoliatum omnibus pro-prietatibus corporis, non est corpus Christi.

2. Corpus Christi Physica locatio-ne est in cœlo, & non reddetur nobis ante ultimum diem iudicij. Ergo pa-nis non est essentiale corpus.

3. Ritus ille est sacramentum. Ergo præsentia sacramentalis. Et ita panis non

non est substantiale corpus, sed sacra  
mentale. Neq; delectetur admodum  
illo improbo effugio, quod propter  
verba institutionis excipienda sit hec  
præsentia ex articulis fidei. Nam peri-  
culoso exēplo ita relinquitur, sermo-  
nem diuinum sibi ipsi contradicere &  
ambiguum esse. Eadem opera dicant,  
iustum esse occidere in hoc casu, cūm  
oculus tuus offendit te: quia perspi-  
cuè monstratur exceptio quinti præ-  
cepti. Sed non decet Doctores Eccle-  
siæ tam petulans sophistica, neq; vn-  
quam ostendi poterit, in sermone di-  
uino esse contradictionem, & verba  
Christi aliter accipienda, quam sacra-  
mentaliter.

III. Nisi perficuissent frontem, ro-  
garemus eos, ne in aciem producant  
Paulum. Nam is fortiter iugulauit  
 $\tau\lambda\delta\gamma\tau\omega\lambda\alpha\tau\gamma\epsilon\alpha\mu$ . Norunt omnes pij &  
docti, quid significet  $\kappa\alpha\iota\omega\alpha\iota\alpha$ : & quod  
non fiat  $\kappa\alpha\iota\omega\alpha\iota\alpha$  inter panem & Chri-  
stum, sed inter Christum & hominē,  
cuius societatis hæc sumptio est  $\sigma\phi\rho\alpha$   
 $\gamma\epsilon$ . Non igitur panis est res, cui vnitū

vel communicatum est corpus Christi. Quia Christus adest propter hominem, non propter panem. Reatus in impijs, quicquid somnient, nō potest esse aliunde, nisi ex contemptu. Nulla enim corporalis contumelia Christo iā exaltato fieri potest. Qui amant sinceritatem etiam hoc meminerint: sacramenta sunt talia in vſu. Iam vſus primus sacramentorum est fidei confirmatio. Qui igitur sunt sine fide, his verè hæc sumptio inanis cæmonia est, sed propter contemptum ordinationis Christi grauissimas sibi ipsis attrahunt pœnas.

III. Color de ἀνθρωπαγίᾳ, sicut re-  
cēs, ita etiam parum firmus est: εἰκότα  
nō demonstrant in nostra logica. Ve-  
teres professi sunt, sc̄ sumere verū cor-  
pus & sanguinem Christi in intelle-  
ctu Paulino: Panem esse verum vel es-  
sentiāle corpus Christi, nunquam ab  
ijs dictum est. Neque debebant neq;  
poterant Imperatori respondere, hoc  
conuiuum tantum esse signum, vel  
repräsentationē Christi absentis, aut  
notam

notam professionis; sed necesse fuit de vero fructu dicere, quem tamen spiritualem & mysticum esse docent. Sciantverò isti pictores, neq; nobis omnino ignotam esse antiquitatem. Simplex & maximè perspicua historia communionis à Iustino, cuius acta te ista acciderunt, 2. lib. Apolog. describitur: Ait post interpretationem concionis Apostolicae vel Propheticae, & post dictas preces publicas, propositum panem & vinum aqua dilutum, eum deinde, qui præfet Ecclesia, recitasse preces & gratiarum actionē; quibus peractis, Diaconos vniuerso populo ea distribuisse, & ad absentes etiam detulisse. Hic nulla fit mentio de præsentia veri & substantialis corporis cum pane.

V. Ex perpetua cōsuetudine sermonis diuini in ritibus, symbolis tribuitur nomen rei significatę. Sicut igitur haud dubiè Christus imitat⁹ est phrases veteris legis, vt has: Agnus est pascha: Sanguis victimæ est fœdus, & similis: Ita recte vetustas cūdem morē

reti-

retinuit. Causa autem harum locutionum duas sunt.

1. Ut extet illustris distinctio inter hunc sacrum pastum & cibum profanum vel physicum.

2. Ut certò statuamus, credenti in usu exhiberi ea beneficia, quae significant symbola, & ita perspicue refutentur Enthusiastæ, qui sacramenta omnipotentes spoliant efficacia. Frequentes vero veteres fuerunt in usurpandis talibus phrasibus, ut in hominibus acueretur recuerentia. Sed deinde ætas posterior & vniuersam religionem in externos gestus, & has locutiones ad stabilendam idololatriam, contra mentem veterum, conuertit. Corruptelas has superata refutauimus. Cum ipsis metuere propositionem Christi sacramentaliter interpretati sint, cum etiam extra usum panem nominent corpus Christi, & planissime articulum de veritate naturæ humanæ tradiderint & munierint, non possunt haec formæ loquendi aliter accipi. Nunc igitur etiam iste formæ pie & recte usurpari possunt:

Panis

Panis est corpus Christi, Vinū est sanguis Christi in vsu; sed cum necessaria & vera declaratione, qua nulla melior est Paulina, vt toties dictum est. Accuratè verò populus erudiēdus est, vniō nem sacramentalem nō esse duarum substantiarum realem vel substantialem copulationem, sed tantūm relationem, vel ordinationem diuinam, quæ significat istas res visibiles destinatas esse non ad vsum physicum, sed ad vsum spiritualem, secundum Christi institutionem. Ita Paulus exponēs propositionem sacramentalem Christi, nominat panem & poculum beneficiorum. Et in hanc sententiam planè loquitur antiquitas, vt Augustinus: Accedat verbum, hoc est, ordinatio Christi, ad elementum, & fit sacramentum.

VI. Sicut Antiquitas optimè dixit, in sacramēto duo esse, rem terrenam & cœlestem: Ita duplex manducatio, sacramētalis, videlicet symbolorum, & spiritualis, videlicet corporis & sanguinis Christi; duplex etiam nobis cū Christo

Christovnio, Spiritualis, cum ipso &  
 tota Diuinitate, quæ ultima est: Cor-  
 poralis, cum ipso, ut cum Mediatore,  
 cuius corpori fide per Spiritū sanctū  
 inferimur, ut per hoc medium toti Di-  
 uinitati vniri possimus, & huius vno  
 nis præcipuè σφαγία est iste cōiectus.  
 Sed hic seriò vrgemus partem aduer-  
 sam, demonstrent nobis testimonij  
 antiquitatis, duplicem esse manduca-  
 tionem veri corporis Christi. Imò vni-  
 ca tantum est, quæ fit fide. Impijs ve-  
 rò veteres tantum ascribunt mandu-  
 cationem sacramentalem. Hinc est il-  
 la exceptio: Iudas comedit Domini  
 corpus sacramētō tenus. Item, Come-  
 dit corpus Domini, non Dominum.  
 Quare videat Narcissus, quomodo  
 suam Chymāram de triplici mandu-  
 catione tueatur.

VII. Sacra menta sunt sigilla iūsticie  
 fidei, & præsertim ad sacram cœnam  
 non admittuntur illi, qui se nō pos-  
 sunt explorare. Porrò ad exploratio-  
 nem vel poenitentiam opus est cogni-  
 tione doctrinæ. Catechumeni igitur,  
non

nondum rectè instituti in doctrinā, meritò arcentur ab vsu Cœnæ, & à spectaculo etiam, ne concipient alienas opiniones, Pontificias, vel Vvestphalicas, de ritu, quem nondum intelligunt. Et pertinebat hic mos, qui est quid ἀπόφοιος, tantum ad disciplinam.

VIII. Opponitur nobis tanquā Gorgon confessio Augustana: sed profite mur, nos recipere phrases cōfessionis in hoc intellectu, sicut eas declarauit autor. Declarant verò eas hæ propositiones: Christus retinet veram naturā humanam: Christus est physica locazione in cœlo: Christus adest ut in ministerio: Adest propter hominem, nō propter panem: Propositio, Christus est in nobis, intelligenda est per communicationem idiomatum, eaque tantum est dialectica, nō physica. Verum est igitur, vescentibus in sacra Cœna exhiberi verum corpus & sanguinem Christi, non quod fiat aliqua alligatio corporis substancialis ad panem, aut commixtio substantiarū Christi

Christi & hominis: sed ita, vt cōstitua  
 tur vera præsentia sacramentalis vel  
 actionis, qua in nobis Christus verè  
 est efficax, abluens nos suo sanguine,  
 & vniens nos suo corpori reali & viui  
 fica vnione. Improbamus etiam con-  
 traria docentes, nempe illos, qui ima-  
 ginantur in cœna fieri repræsentatio-  
 nem Christi absentis, & cœnam tan-  
 tūm esse notam professionis, neque  
 prodesse ad fiduci cōfirmationem. De-  
 niq; ita eas recipimus & usurpamus,  
 sicut in posterioribus scriptis ipse au-  
 tor eas interpretatus est. Sin autē alij  
 perperam eas acceperunt, nostrū non  
 est hoc præstare, neque multitudo er-  
 rantium præbebit errori patrociniū.  
 Argutijs pontificiorum vt prolixè re-  
 spondeamus, nihil opus est. Cogitent  
 illud Comicum: Huic cùm dico, tibi  
 dico. Ipsi enim autores sunt harū cor-  
 ruptelarum. Eadem igitur fundamen-  
 ta refutant vtrosq;. Profanationes in  
 Missis theatricis, oblatio, adoratio e-  
 leuati, repositi & circumgestati panis  
 in alijs scriptis copiose refutatæ sunt.

Et qui-

Et quidem, ubi vera præsentia & usus  
 monstratus est, iam tota propago id  
 idolatriæ iugulata est. Non etiā nunc  
 furores Enthusiastæ Silefij longa ora-  
 tione redarguere statuimus, cùm hoc  
 à ratione nostri argumēti sit alienius.  
 Contenti igitur erimus hac breui seu  
 disputatione, seu altercatione cū ho-  
 mine parum sano. Non solū sonat  
 homo fanaticus veterem suam cantil-  
 enam, non minūs gratam multitudi-  
 ni, quām est coccysmus vel singultus  
 euculi, qui mulierculis creditur red-  
 dere oracula, non esse Christum effica-  
 cem per ministerium. Sed recens ipse  
 & satellites ipsius quidam lucifugæ,  
 horribiles vulnatus, potius Furiarum,  
 quām Caci, atrociores quām vñquā  
 antea, ediderunt. Manifestè negant,  
 Spiritum sanctum esse efficacem per  
 sacramenta. Imò affirmat ipse senex,  
 nihil se sollicitū esse de ritu Sacramen-  
 torum, scire sè, sumptionem in cœna  
 esse liberam, & quid ἀδιάφορον, sicut &  
 baptismum præsertim infantum; nec  
 credibile, Apostolorū ætate baptiza-

L      tos

tos esse infantes: vti sese libertate Eu-  
gelij, nullius cœtus se socium vel ciuē  
esse, & abstinere prorsus ab vsu cœnæ,  
optimo quidem iure. Nam & Paulum  
inter capita libertatis retulisse sacra-  
mentum cœnæ. Iubet etiam suos se-  
statores sibi viuere, fugere cōiunctio-  
nem vel societatem cum alijs congre-  
gationibus qualibuscūque, & esse cō-  
tentos manducatione spiritali Chri-  
sti, qui sese nobis infundat secundum  
vtramq; naturam verè & substanciali-  
ter, nec aliter verba Cœnæ intelliger-  
da, illisque talem attribuit syntaxin:  
τὸ σῶμα μὴ δι τοῦ, inquit pronome re-  
ferri ad totum intellectū, & verba ea  
esse pronunciata à Christo post pānis  
manducationem, nec ad panem refe-  
renda. Sententia igitur erit: Corpus  
meum est hoc, scilicet cibus. Et ipse  
præsultor, & alter ex ipsius parasita-  
stris, scurra petulans, apertè dicunt,  
nusquam in scriptura pani tribui ap-  
pellationem corporis, vt hoc modo  
cæmoniam & ritū ipsum, tanquam  
nullius ysus, relegent ex Ecclesia: quē  
aliás,

alias, ubi nondum metas insaniæ humanae excedebat, docebat esse picturam & umbram manductionis internæ. Credo pios expauescere ad hanc συσφυμιαρ, & exemplo Polycarpi iudicare, aures esse obstruēdas, cùm tamē suos symmistas tali sermone, simili incantationibus, ut Circe medicamento-  
 toso poculo amatores suos in porcos & alias bestias vertebat: ita ipse in Hyc-  
 nas, aut certè in alia animalia planè Epicurea transformet. Extant refuta-  
 tiones horum deliriorū scriptar & pro-  
 lixè & verè. Ideo nos tantū pauca  
 de nostra causa dicemus, & examina-  
 bimus ipsius pharmaca, quæ pfectò,  
 vt rectè dictum est, non sunt οφελ, sed  
 quasi hallucinationes hominis ex  
 morbo furentis, & mendacia execra-  
 da. Propositio verissima est, filiū Dei  
 hac sumptione efficacē esse in creden-  
 tibus, sicut expressè dicitur: Panis est  
 κοινωνία corporis Christi: Poculum est  
 κοινωνία sanguinis Christi. Et notū est,  
 de omnibus sacramentis dictum esse  
 in genere, quod sint sigilla iustitiae fi-  
 delitatem

dei. Nota est etiam perpetua antiquitatis doctrina & consuetudo, quæ adeò non docuit, symbola esse vacua signa, ut potius hyperbolis interdū via esse videatur. Quis autem credat, hāc esse Christiani pectoris vocem: Vtum cœnæ esse ἀδιάφορον, cùm extet severissimum mandatū: Hoc facite, quotiescunq; biberitis: Conuenientibus vobis, mortem Domini annunciate? Et vetus Ecclesia in omnibus ferme congressibus ritum hūc, tanquā maximè salutarē & necessariā παντού, usurpauit. Manducatio spiritualis, hoc est, τονενvia Christi & sumentis, verè fundamentū & formā est huius actionis: sed interea non est dicendū, cāremoniā esse ociosum & inutile spectaculū. Norunt enim pij, isto externo pignore ex immensa bonitate Dei confirmari fidem nostrā, & fieri obsignationē interioris illius cōmunicatis. Olim dictū est, stultissimos omnium hominū esse Grammaticos, quod præfagiū fortassis in istis nunc demū expletū est. Sed audiant Grammaticā sobriam,

sobriam, oppositam non syntaxi, sed confusioni ebriæ. Scimus hanc esse natūrā pronominū demonstratiuorū, vt demonstrent subiectum singulare vel individuū; quæverò ad intellectū referuntur, vel ad totam orationē p̄cedentem, esse nomina relatiua. Si vērō fortè ex nouis Indijs propter recēs bellū Grammaticale, nunciata est antiqui iuris immutatio, ostendant cōmentarios, aut vapulent. Fortassis minùs periti fuerunt Græcæ lingue Apo stoli, quām nunc sunt Silesij. Potuissent igitur intelligibilem constituere Syntaxin, & vitare solœcismos. Eadē ratione incūbit ipsis probatio, quod verba cœnæ dicta sint post cœnā. Sed profectò talia deliramenta, vel melan cholica, vel phrenetica, homini sauo non venient in mentem. Quām verò impudens mendaciū est, nusquam in sacris literis corpus de pane p̄dicatori? Oblitus es, fanaticæ, propositionū: Panis est *κοινωνία* corporis Christi: Nō discernunt corpus Domini? Sed desino, & oro pios, vt veniam dent huic ri-

xę acerbiori, quā mihi expressit iustus  
dolor, propter contumeliam Christi.  
Reducat filius Dei errantes in viā, &  
blasphemos coērceat iusta poena, ne  
plures à Deo auellantur.

TERTIA PARS EXE  
GESIS, QVÆ OSTENDIT  
rationem, qua existimatur pia posse  
in aliis constitui concordia.



Xposuimus mediocri per  
spicuitate cōtrouersiam,  
quæ nunc vbiq; gliscit de  
facra cœna. Et verē affir-  
mare possumus, nos neque irretitos  
vllis priuatis cupiditatibus, aut amo-  
re sectæ alicuius ista proponere; sed  
simplici tantū studio euoluendi ve-  
ritatem, ne conscientia nostra saucie-  
tur vllis contagij idolatricarū opi-  
nionum; sed habeat firmari notitiā  
& consolationē, qua tuto possit erigi  
& acquiescere, in tanta iudiciorū &  
hominum non tam dissimilitudine,  
quam

quam peruersitate. Ideo etiam partē  
 à nobis dissentientem nequaquam vi-  
 lo odio prosequimur, vel illorū con-  
 tumeliam aut oppressionē expeti-  
 mus: sed hoc nostrum est desiderium,  
 hæc nostra vota, vt etiam in hoc arti-  
 culo pius constituatur consensus: aut  
 si qui, vt profectò plurimi faciunt, mo-  
 deratis consilijs refragātur, saltem ad  
 æquas conditiones pacis vel inducia-  
 rum adduci sese patientur, vt cōiun-  
 ctis animis, cōfessione & precibūs glo-  
 ria Dei illustretur, & religio explicatē  
 sineq; ambiguitatibus ad posteritatē  
 propagetur. Etsi autem deridetur no-  
 stra pacificatio tanquam destituta au-  
 toritate, & nobis accidet, quod veteri  
 Germanico prouerbio dicitur: Eum  
 qui in rixa se interponit medium, gra-  
 uiūs feriri: tamen cùm, vt olim dictū  
 est, & olitor interdūti sit valde op-  
 portuna locutus, prudētiores & hæc  
 consultationem cognoscēt, atque  
 cùm in expositione reliquæ causæ nō  
 formidauerimus iudicia iniquorum;  
 & in hac compositionis tractatione

alcām iaciamus. Si dulces, blanda &  
 sanētæ conciones sanare possent ani-  
 mæ exulceratos hominum, profecto  
 oratio benignæ illius animæ, quæ om-  
 nes tractabat mollissimè & humanissi-  
 mè, sopiaisset omnia odia. Sed, ut ille  
 vir fortis ait, nec verba ignauis virtu-  
 tem addunt, nec quantumuis vtilest  
 cōmonefactiones emendant insana-  
 biles: Imò animaduersum est, in plæ-  
 risque rabiem creuisse, quando indul-  
 gentia & lenitate bonorum se abuti  
 posse viderunt. Ideo tales, tanquā de-  
 plorati apud medicos, relinquuntur  
 prognosticis, hoc est, seuerissimis Dei  
 comminationibus, qui impietatis &  
 crudelitatis erit vindex asperimus,  
 sicut dicitur: Non habebit Deus inno-  
 centem cum, qui vanè usurpauerit no-  
 men eius. Item: Qui gladium accepe-  
 rit, gladio p̄cabit. Reliquos verò, qui  
 aut gemunt propter idola, aut saltē  
 non alieni sunt à pia concordia, mo-  
 nebimus, ne ab illis turbatoribus Ec-  
 clesiæ sese inflammari patiantur, ne  
 que ipsorum crudelitati sese præbe-  
 ant.

ant administratos, sed negotiū ipsum  
vnā nobiscū hac propemodū ratione  
examinent.

Primum, cùm omnino tres reperi-  
antur viæ, quibus finiuntur etiā acer-  
rimi conflictus & longissima bella;  
transitione vel deditione: oppressio-  
ne alterius partis: & transfactione; co-  
gitemus quæ ex illis sit rectior & me-  
lior. Exposita est causa, quæ in contro-  
uersiam vocatur, clarè & sine ambigui-  
tate. Cùm igitur euidentis sit, utra pars  
cōsensum vocis diuinæ & sinceræ an-  
tiquitatis tueatur, & profectò altera  
vix aliquid, quod speciem veri habet,  
afferat; sed tantum reliquias Pontifi-  
cij dogmatis proponat, cur non cedi-  
mus perspicuae veritati? Cur anteferi-  
mus opinionum veterū quasi firmos  
vel aliquos singularū cupiditatū mo-  
tus voci cœlesti? Nōn ne cogitamus,  
contumaciā prohibitā à Deo esse, nol-  
le cedere meliora monētibus, sed per-  
tinaciter in defendenda & ornanda  
sua opinione falsa laborare? Cessit Pe-  
trus monenti Paulo de abroganda le-

L s gis

gis Mosaicæ obseruatione. Vniuersa  
synodus Nicena cessit Paphnutio sua  
denti, ne ferretur lex de cœlibatu Sa-  
cerdotum. Et si igitur Ecclesiæ nostra  
constitutæ sunt à doctoribus, excellē-  
tibus pietate & donis: si tamen aliqua  
doctrinæ pars ab alijs paulò rectius il-  
lustrata & repurgata est, cuī non imi-  
tamur regulam: Si fuerit sedentireue-  
latum, taceat prior. Item, Vatiæ sunt  
donorum species, sed unus spiritus?  
Hæc igitur sicut expeditissima: ita pro-  
fectò optima erat via eō fangendi Ec-  
clesias præcipiutorum regnorum in Eu-  
ropa, & constituendi dulcem & salu-  
tarem concordiam, si maiori & melio-  
ri cœtu cederemus. Sed adeò grauia  
& multa hanc spem interuerunt im-  
pedimenta; vt optare quidem nobis  
talem statum licet, sed eò peruentu-  
ri haud unquam simus. A Deo igitur  
gubernationem consiliorum nostro-  
rum petamus, qui faciat, vt tandem om-  
nium Ecclesiarum cōsentiens sit vox  
& Inuocatio. Nos autem secundam  
viam concordiae examinemus. Finiū-  
tur

tur interdū bella victoria per oppres-  
sionem & extinctionē partis contra-  
riæ, & hæc ratio plærisq; ex nostris, qui  
bus & propria laus & victoria verè, vt  
ille dixit, melle gratior est, valde pro-  
batur. Ideo varia vbiq; cūduntur con-  
silia, quomodo **internecione** partis  
alterius, tandem nostrum regnū pos-  
sit cōquiescere & amplificari; sed sicut  
victoria hęc aduersus hostes externos  
laudabilis & optanda est: Ita in bellis  
ciuilibus nemo nisi immanissimæ &  
efferæ crudelitatis homo cām optare  
debet. Notum est, quid ille responde-  
tit Imperatori, quærēti, Iurē ne cæsus  
esset vir optimè meritus: Vtrūm iure  
necatus sit, non dispuo, sed hoc scio,  
te dextra sinistrā tibi præcidisse. Et ta-  
lis victoria solet nominari Cadmæa,  
& ab omnibus iudicari funesta, vbi a-  
amicus amicum iugulat. Intueamur  
tamen exercitus vtriusque conditio-  
nes, tesseras & consilia. Non inficiari  
possimus, multorū regnorū antecel-  
lentium autoritate & potentia Eccle-  
sias à parte aduersa esse constitutas,

&amp;

& quanuis non ex aliqua leuitate nostras velim extenuare: tamen rursus, nisi ridiculè velimus esse φίλαυροι, faterinos oportet, plerasque ex illis non esse deteriores. Vigent inter illos honestarum artium studia, plerasque in locis honesta custoditur disciplina, & plurimi Deum fiducia Filij mediatoris piè inuocant sine idolatria, sicut & nostri: Retinent fideliter fundamēta sacræ doctrinæ, scripta Prophetica & Apostolica: Symbola cùm alia, tum etiam hanc ipsam nostram confessio- nem Augustanam laudant & probāt. Deinde magno Dei beneficio ornati sunt Doctoribus excellentibus pietate & eruditione, qui & immensos labores, ærumnas & pericula in propagatione veræ doctrinæ sustinuerūt, & quorū aliqui adhuc superstites sunt, præliantur in acie pro cōmuni causa, & qui profectò magis formidabiles sunt cōmunibus hostibus, magis etiā eos reprimūt, quām multi Stentores, qui tantūm hoc agunt, vt tot myria- des piorum hominū deforment. Præ-  
terea

terea uno ornamento præcipue Deus  
 voluit eos nos antecellere, & planè o-  
 stendere, ipsorum doctrinam multis  
 fructuosam fuisse, quia tantū agmen,  
 etiam celebrium hominū, sanguine  
 in constanti confessione inter horren-  
 da supplicia pro Christo fuderūt, cùm  
 interea simile robur apud nostros, sic  
 ut ignotū non est, non fuerit. Deinde  
 nequaquam illorum tanta est imma-  
 nitas, vt nos velint iugulari, sed amicè  
 consensum cōmunem constitui pe-  
 tunt: offerūt omnia fraternæ bencuo-  
 lentiæ officia: vbi cunque etiā occasio  
 est, officiosè nostros cōpleteuntur, &  
 quod certò constat, edixere, ne publi-  
 ca villa oratione lacerentur nostræ Ec-  
 clesiæ, aut ad populum traducantur.  
 Quæ igitur causa est, quæ impellere  
 nos debeat, vt adeò erga ipsos fœuia-  
 mus? consentiunt nobiscū in corpo-  
 re veræ doctrinæ, piè nobiscum filiū  
 Dei inuocant. Cur igitur tot millia so-  
 ciorum confessionis & precū nostra-  
 rum, ita atrociter dānamus? an quia  
 vñica in parte, præcipue leuicula, que  
 dam

dam nota est dissensio? At vetus Eccle-  
 sia Nouatianos, et si propugnabant p-  
 niciosum dogma, tolerauit; quia & in  
 reliquis partibus doctrinæ consentie-  
 bant, & utilem nauarant Ecclesiaz ope-  
 ram in refutandis Arij blasphemis.  
 Imitemur, quæso, hanc Antiquitatis  
~~uidelicet~~ potius, quam Pelei impru-  
 dentiam, qui cùm feram peteret, ami-  
 cum interfecit. Cur non igit ur nostri  
 Amphictyones ita cogitant: Ecclesiaz  
 istæ sociæ sunt nostræ confessionis,  
 piè constitutæ sunt, acriter prælian-  
 tur contra cōmunem hostem: Quæso  
 condonetur hæc vnica illis particula,  
 quæ profectò ex nullius sententia, si  
 modò sanæ mentis sit, potest esse ma-  
 gna. Lis est de sacra cœna. Iam nemo  
 negabit, sacramentorum, cùm sint a-  
 ctiones, formam & principale funda-  
 mentum esse fructum. De eo congru-  
 unt sententiæ. Dissentient verò de v-  
 na quadam appendice, videlicet: An  
 præsens sit corpus Christi humanum,  
 quod tamē ita præsens esse statuitur,  
 ut nusquam sit. Existimatur enim spo-  
 liatum

Batum esse omnibus proprietatibus corporis, sicut substantia spiritualis, & neque includi pani, neque etiam substantialiter infundi homini. Dere liquis, quæ vel ὡρὴ κονωνίας, vel de v-nione Christi & piorum dici possunt, & quæ ad articulū iustificationis proprie pertinent, planè cōgruimus. Cur igitur nostri μετελέσθαι ἀδίκημα splendidum demolientur, et si existiment, stipulas aliquas obductas rimis aut tecto parum esse speciosas? Ego c-contrā ita iudico. Si quis omittat so-mnia Eutychiana de corpore Christi, existente in diuersis locis, & naturæ humanæ Christi suas relinquat pro-prietates, neminem ex parte aduersa magnopere cum tali rixaturum. Ut igitur, et si quis beatam nominet, vel amaracum, vel amomū, nemo, vt op-inor, eum ideo interficiet: Ita liceat cuilibet substantiam spoliatam pro-prietatib' humanis appellare corpus, cū sermo communis eam appelleret Spiritū. Tales cū sint Ecclesia ipso-rū, & ita etiā amicē p̄cipui ex ipsis erga nos

nos affecti, mirū est nostros ad eū esse  
 implacabiles. Non delector quidem  
 contrectatione vulnerū nostrorum,  
 cuī per se est immittis; sed tamen nec  
 morbus sanari potest, qui non agno-  
 scitur. Qualis sit rabies in paginis istis  
 publicis, quibus non priuati tantum,  
 sed integrilacerantur cōetus, manife-  
 stum est. Nec viuis nec mortuis parcii-  
 tur. Imò etiā egregiæ illæ animæ, qua  
 cruore suo de cœlesti veritate testifi-  
 catæ sunt, in gremio sui Saluatoris cō-  
 quiescere non potuerunt; sed imma-  
 ni scelere viri sancti & constantes, qui  
 in Gallia, Anglia, Belgico, & multis a-  
 lijs locis propter confessionem verita-  
 tis excruciatæ & necati sunt, appellati  
 sunt martyres Diaboli, atque in vni-  
 uersum pronunciatū est: cōetus illos  
 deteriores esse Ethnicis & Iudeis. Ha-  
 rum enunciationū nimis barbararū,  
 si nostros nondum pudet pigetq;; ve-  
 rē saxeа circumferimus pectora. Vide-  
 mus deinde cōcurrere quasi ad Syno-  
 dum Lystricā plurimos ex ijsdem ca-  
 stris, ardentes ira & odijs, non eo con-  
 filio,

filio, ut controuersia ista cognoscantur: sed tantum, ut homines prij partis aduersae infames pronuncientur & damnentur, quos profecto libentiūs, si possent, trucidassent vniuersos. Atq; hæc ea suscipiūt cum audacia & temeritate, ut etiam ex nostris quidam de illis Areopagitis dixerint, nunc exoriri nouam sectam, quam oporteat appellare ANATHEMATICAS. Deinde non iniuria cōqueri possunt, boni illi homines, etiam hos, qui anatæ, cùm aura videretur esse secundior, nisi sunt minus esse iniqui, & qui se rebus afflictis medicinam afferre debebant & poterāt, nunc suo quodam cōsilio, vel metu amittendi sui loci & existimationis, reddi alieniores. Narrat historia, cùm in cæde Cæsar, ipse Iulius, cruentus multis vulneribus inter cōiuratos etiam Brutum, quem ut filium complexus fuerat, stricto pugione accurrere ad lanienā videtur, velato capite dixisse: οὐσιώτερον, atque simul corpus illis omnibus lacerandum vltro porrexisse. Ita viri

M docti,

docti, senes & sancti cum gemitu vi-  
 dent, se suasq; Ecclesiis premi suffra-  
 gijs eorum, quos paterno amore com-  
 plexi sunt, quos erudierunt & orna-  
 runt. Sed profecto non tuebimur pa-  
 cem eiusmodi consilijs, quæ ad breue  
 tempus munire videntur nostram au-  
 toritatem, & nulla interea recta nitu-  
 tur ratione. Nam obsecro vos, cum, ut  
 credo, fateamini, non debere tolli iu-  
 dicia ex Ecclesia, sed opus esse legitima  
 ma cognitione controversiarum; cir-  
 cumspiciamus quæso, qualis sit ordo  
 nostrorum iudiciorum in hac causa.  
 Populus educatus est in opinionibus  
 illis, quæ reuerâ ex reliquijs pontifi-  
 cijs natæ sunt, & hæret in plærisq; co-  
 gitatio de quodam singulati numine,  
 neq; eam opinionem exuere potest,  
 neque meliori imbuitur. Nam plures  
 ex illis, qui ad populum loquuntur,  
 & ipsi hanc causam, cum de ea nō mul-  
 tum solliciti sint, & bona scripta aut  
 prorsus non attingât, aut certè segni-  
 ter & cum voluntate tam abalienata,  
 non intelligunt; multi etiam suo lo-

eo, dignitati & quæstui metuūt. Ideo  
 de industria plebem in eiusmodi opi-  
 nionibus detinent, & contra partem  
 aduersam acerrimè inflammant, ita,  
 vt multi illos, si daretur occasio, den-  
 tibus discepturi esse videantur. Si  
 qui verò inter concionatores sunt sa-  
 niiores aut modestiores, qui nec phra-  
 ses impias, nec conuitia & furores a-  
 liorum imitari volunt, illi ab ipsis su-  
 is fratribus occasione quæsita, ex ser-  
 monibus, scriptioribus priuatis aut  
 ambiguis acerbè ad populum tradu-  
 cuntur, nec quiescunt illi, verè vt o-  
 lim dictum est μηχανογραφοὶ κακῶρ, te-  
 lam calumniarum texere, donec ta-  
 les in grauissimas adducant suspici-  
 ones & pericula. Ita deinde gubernatores  
 politici, quibus nostra æta-  
 te iudicia de dogmatibus commen-  
 dantur, accensi ab istis Furijs sacer-  
 dotum, incipiunt sæuire in meliores,  
 & grauibus poenis persecuti recta mo-  
 nentes. Huius rei culpam in quem  
 transferemus, nisi in quosdam Cleo-  
 nes nostrarum Ecclesiarum, qui adeò

M 2 sunt

sunt inclementes & inhumani, ut vē-  
 nentur omnes suspiciones, omnes le-  
 uissimas occasiones, quibus alter alte-  
 rum ad populū possit deformare, cū  
 alioqui populus de talibus rebus ni-  
 hil cognosceret, sed simplici explica-  
 tione doctrinæ cōtentus foret? Hinc  
 inflammantur odia potentum aduer-  
 sus innocentes, præbetur occasio dis-  
 sensionibus & distractionibus infini-  
 tis, quæ demum vtriq; parti exitiosæ  
 futuræ sunt. Necessæ est iudicia esse in  
 Ecclesia, sed quis probet talem ordi-  
 nem? Conueniant eruditæ, deligantur  
 iudices ex vtraque parte, sicut ipsa na-  
 turalis ratio dictat, audiatur & exami-  
 netur causa, postea ferantur suffragia  
 congruentia ad veram normam. Ta-  
 lis cognitio cùm nondum instituta  
 sit, nec Synodus in tanta animorum  
 exulceratione, cùm desit gubernator,  
 qui sua autoritate coērceat cōtuma-  
 ces & petulantes, conuenire possit:  
 quæ est audacia, paucos, eosque fer-  
 me rerum omniū imperitos, tot pias  
 Ecclesias, quæ voce doctrinæ & prece-  
 tione

tione nobiscum coniunctæ sunt, ita  
acerbè criminari & condemnare? An  
non tales Tyranni rectè dicuntur ido-  
la & patricidia stabilire inter nos & in-  
ter aduersarios? Apud nos populus  
non eruditur, nec iubetur falsas per-  
suasiones deponere, imò talibus con-  
tentionibus profundiùs immergitur,  
& gubernatores acuuntur ad fæuitiā  
erga pios, qui nullis falsis opinioni-  
bus polluti sunt. Aduersarij verò, qui  
pro suo Deo Maozim, tanquam pro  
aris & focis dimicant, istis hyperboli-  
cis clamoribus pro stabiiliendis suis  
furoribus vtūtur, & hoc prætextucru-  
deliùs in pios Christianos, qui verè  
sunt membra Christi, suorum tyran-  
nidi subiectos, grassantur: sicut de  
hac nostrorum incogitantia etiam  
quidam sapientes Principes ex no-  
stris conquesti sunt: & res ostendit,  
quid in Gallia, Belgico, Hispania, &  
Anglia acciderit, vbi nihil usitatiùs  
est, quām propter negatā veram præ-  
sentiam veri corporis ad crudelia sup-  
plicia sanctos homines abripere. Si

verò hæc crudelitatis ansa & sœuiendi  
fenestra, quæ hac ratione patefit ty-  
rannis, & à nostris confirmatur, non  
mouet nostros Doctores, vt sint in  
hac causa mitiores, & magis circum-  
specti, nimis sunt asperi.

Sed iam audio obstrepentes quod-  
dam, quibus ingrata sunt moderata  
consilia, frustra ista proponi, & frustra  
peti cognitionem huius controve-  
xiæ. Vnuente enim Lutherò satis ista  
esse explicata, & vero iudicio defini-  
ta. His respondeo. Utinam, sicut pri  
aliqui principes expetebant, omnia  
in colloquio recto suscepta fuissent  
ordine. Utinam etiam tandem con-  
sensus, qui inter ipsos constitutus fue-  
rat, seruatus esset, minùs certè nunc  
esset certaminum; quorum verò im-  
probitate impedita & interrupta sic  
concordia, constat. De persona Lu-  
theri non libenter loquimur, quia ea  
oratio non est popularis: sed tamen  
hoc profitemur, quod suprà dictum  
est, nos toto pectore amare & venera-  
ri Lutherū, utpote talem virum, qui

Dco

Deo carus fuit, & præcipue ad emendationem doctrinæ hac vltima mundi ætate à Deo mirabiliter excitatus & adiutus. Profitemur etiā, verè nos esse ciues cius Ecclesiæ, quæ voce huius salutaris organi Dei collecta & constituta est, nec in doctrina fundamenter illa in parte cum redarguimus. In hac ipsa causa etiam ubi ardor & spiritus Lutheri fuerunt ingentes, multas phrases ipsius probam⁹ & recipimus, incommodiores candidè interpretamur, & mitigamus quantum possimus. Verum si Luthero in tanto certaminum feruore exciderūt locutiones, quæ ad rectam normā parum congruūt, & ex quibus extrui possunt grauia in Ecclesia incommoda; cur non liceat nobis amplecti sententiam eorum, qui fuerunt quasi Πρᾶσαγ Lutero additi à Deo, qui commodiūs senserunt & locuti sunt? Interdum discedimus ab Augustini & aliorum auctoritate, qui fortassis non inferiores fuerunt Lutherο, & ipsi hoc fieri iubent. Nulla propterea contumelia illi

Sancti viri afficiuntur. Scimus Luthe-  
 rum excelluisse sapientia plena quoque  
 suæ etatis homines: ideo, cum omnia  
 rerum momenta in toto quasi mun-  
 do inspiceret, forte existimauit nou-  
 mouenda esse, quæ vix possent obti-  
 neri. Et certè nihil detrahitur eius au-  
 toritati, et si arbitremur, cum non pro-  
 sus fuisse in vita & rāmātū m̄p. Symbolū  
 gratum & usitatum magnis viris est:  
 Atque olim dictum est: Gloriae cupi-  
 ditas ultimò etiam sapientibus exui-  
 tur. Ita quidem scio iudicare illos, qui  
 bus familiariter notus fuit Lutherus.  
 Cum igitur denuo in controversiam  
 vocetur, utra pars senserit melius: l-  
 imò cum nunc quasi nouæ mouean-  
 turres, ita, ut altera pars assuat confu-  
 siones de ubiquitate, & communica-  
 trione Idiomatum physica, & similes:  
 altera verò totam hanc causam expo-  
 nat magis eruditè, & in commoda o-  
 piniones vel locutiones priorum mu-  
 tet & corrigat; ut non legitimani co-  
 gnitionem ex eruditis utriusque pa-  
 tis

tis desideremus? Certè non expediet  
tyrannidem similem pontificiè in no-  
stris Ecclesijs stabilire. Agnoscamus  
dona Dei etiam in alijs, nec fastu & a-  
more nostri, sicut Narcissus, contabe-  
scamus. Sed inueniuntur quidam ci-  
uiores & callidiores, qui bellū σχῆμα  
πλιγού excogitarunt. Ita enim fer-  
me concionantur: Reim ipsam osten-  
dere, quām perniciosa sit στάχθεα, &  
præsentis status mutatio. Si enim a-  
pertè fateremur hæsisse in nostris Ec-  
clesijs aliquos nauos, proponi nos  
deridendos hostibus, & econtrà, le-  
uia ingenia acui ad petulantiam sub-  
inde mouendi noua certamina, & cō-  
uellendi cauillationibus doctrinam  
rectè constitutam. Valde igitur illos  
delinquere, qui vel sermonibus, scri-  
ptionibus vel consilijs receptam sen-  
tentiam improbent, & Lutherum, a-  
liosque tam Doctores, quām auditio-  
res, erroris insimulent. Contrà verò  
omni studio pugnandum à concio-  
natoribus, ne animis hominum instil-  
lentur opiniones illæ blandientes ra-

M s tioni

tioni & hominibus ingeniosis. Si quis  
verò iam occupatus sit sententia con-  
traria, eum aut in viam reducendum  
& monendum, ut non priùs approbet  
sententiam damnatam à Luthero &  
Ecclesijs Germanicis, quām pia syno-  
dus (quam nusquam tamen futuram  
arbitrantur, neque cupiunt etiam)  
hoc faciendum censeat, aut mouen-  
dum eum loco: Isti Oratores cūn-  
quibusdam suis aculeis etiam nostrū  
pungant aut fodiant latus, ideo pau-  
lulum cum illis ex veris fundamentis  
disputabimus.

I. Sit hæc prima propositio: Ne-  
cessè est omnes homines in contro-  
uersijs de fundamento doctrinæ in-  
quirere, & amplecti veritatem tradi-  
tam voce diuina, nec mouerivlla con-  
traria autoritate hominum prohibe-  
tium hanc inquisitionem vel confes-  
sionem. Testimonia sunt manifesta:  
Honcaudite: Qui me confessus fue-  
rit coram hominibus, &c. Si quis a-  
udit Euangeliū docuerit, anathē-  
matisc, &c. Fugite idolatriam; Fun-  
damen-

damentū aliud ponere nemo potest.  
**II.** Interdum in Ecclesia mouentur lites de adiaphoris ab hominibus inquietis, interdum etiam fundamento assuntur stipulae ab aliquibus, id est, opiniones minus commoda: Ideo pī ad tuendam concordiam communem possunt & debent tolerare infirmitatem eorum, qui aliquid habent caliginis, cū tamen sinceri sint in præcipuis doctrinæ articulis. Imò in vsu reruni mediarum, in refutatione etiam leuum errorum, iustum est, firmiores etiam usurpare prudentiā, ne animi infirmorum saucientur. Sic longo tempore concordes fuerunt Ecclesiæ Orientales & Occidentales, et si fuit dissensio de aliquibus rebus leuioribus, ritibus & opinionibus. Atq; ita dicitur: Non deserentes congregationem vestram. Item, Nemini sitis offendiculo.

**III.** Iudicia in Ecclesia nō valent auctoritate regia vel præatoria: sed ppter auctoritatem verbi diuini, cuius iudices sunt interpres & testes. Neque

com.

constituenda est illa Oligarchica, ut  
tyrannica potentia, quasi illi soli po-  
testatem habeat iudicandi de doctri-  
na, qui funguntur munere publico:  
reliquis vero, ut Pontificij dixerunt,  
incumbat obediendi necessitas: sed  
pertinent iudicia ad totam Ecclesiam.  
Etsi rectum est, in ea re seruare ordi-  
nem, sicut dicitur: Tunc visum est Apo-  
stolis & presbyteris cum tota Ec-  
clesia. Item: Potestis singuli dicere: Si  
fuerit sedeti renelatum, taceat prior  
Spiritus non extinguite: Prophetias  
**non contemnите**: Omnia probate,  
quod bonum est, tenete. In nostra  
hac causa disputatio, An natura hu-  
mana Christi sit ubique, an potius cor-  
porali locatione in uno loco cœli: I-  
tem, An corpus Christi spoliatum sit  
omnibus proprietatibus corporis, ut  
rè controuersia est de fundamento,  
videlicet de duabus articulis fidei.

1. De articulo qui docet, in Christo  
verè unitas esse duas naturas.

2. De articulo: Ascendit in cœlum,  
qui simpliciter, ut verba sonant, non  
vero

verò per allegoriam accipiendus est.  
 Hæc pars cùm insuper pia cura vetu-  
 statis accuratè exposita & communi-  
 ta sit contra Eutychen: ideo seriò ex-  
 plodenda est recētiorum ~~ωνταχεια~~  
 vel vbiqñitas: neque h̄ic mussandum  
 est, quæcunque sanè ostendantur pe-  
 ricula. Ideo quidam vir verè sanctus  
 dixit, In nulla causa gloriōsius esse  
 mori, quam in ista, vbi agitur de glo-  
 ria filij Dei, de quo nostra voce, con-  
 fessione & sanguine, vbi opus est, te-  
 stificari debemus, eū verè assumpsisse  
 & retinere naturam humanam pro-  
 pter nos, & illud corpus assumptum  
 non euauisse, non absorptum, non  
 mutatum in aliam naturam, sed verè  
 adhuc unum ~~το~~ λόγῳ, ut nos ipsi in-  
 seramus, tanquam membra nostro ca-  
 piti, & nostras mentes fidè cum pio  
 desiderio sursum, vbi est Christus ca-  
 put nostrum, eleuemus, à quo vitam  
 & gloriam haurimus; sicut membra  
 languentia & torpētia robur à suo  
 capite physico.

Certamen etiam grauissimum est  
 \*420 cum

cum illis, qui stabiliunt adorationem  
panis, id est, iubent homines ad locū  
panis, cum quo Christus coniunctus  
esse docetur præsentia physica, dirige  
re suam inuocationem contra mani-  
festam doctrinā Euāgeliū, quod vetat  
ullum cultum sine expresso mandato  
Dei instituere, sicut dicitur: Dominū  
Deum tuum adorabis, & illi soli ser-  
uies. Item: Veniet tempus, vbi nec in  
hoc loco, nec Hierosolymis adorabi-  
tur, sed veri adoratores adorabunt Pa-  
trem in spiritu & veritate.

Sunt alij multi infirmi aut saltem  
modestiores, qui palam fundamentū  
non oppugnant, sed retinent qua-  
dam opiniones minùs commodas,  
quasi hæreditate acceptas, de præsen-  
tia reali veri corporis, quibus vbi in-  
cōmoda & pericula huius sententia  
proponuntur, quoquo modo se seve-  
lant, ne videātur impingere. Tales nō  
dāminamus, sed eis si se perfectè eru-  
diri non patiuntur, neq; veteres opi-  
niones stabilitas autoritate magno-  
rum hominum, exuere volunt: tamē  
ora+

Oramus, ut inducias nobiscum paci-  
scantur, & parati sumus eos pia cum  
moderatione tolerare, & Christiana  
dilectione complecti.

Colloquia sua & scriptiones etiam  
pij optimè possunt excusare. Primò.  
Necessè est singulos edere confessio-  
nem suā de voce cœlesti, præcipue cū  
intelligunt plurimos errātes in inter-  
pretatione doctrinæ. Porrò, magis p-  
spicuè faciunt hoc, qui rectè docent  
& scribunt, quām alij, sicut dicitur: O-  
mnis qui confitebitur me corā homi-  
nibus, confitebor ego eum coram Pa-  
tre meo. Et expressam habēt conce-  
sionem proponendi & scribendi ve-  
ram doctrinam etiam illi, qui nō sunt  
ad locum publicum vocati, sicut di-  
citur: Potestis omnes interpretari.  
Item: Sermo Christi habitet inter vos  
abundè in omni sapientia, docete &  
commonefacite vos mutuò. Item:  
Et tu cōuersus confirma fratres tuos.  
De iudicij setiam plana est responsio.  
Differūt iudicia priuata singulorum  
inquirentium veritatem pro cohsla-  
tione

tione sua conscientiae, à publico iudi-  
 cio Ecclesiæ in synodo, quæ pernicio-  
 sum dogma & cultus iudicat esse vi-  
 tiosos & abolendos publicè. Sicut ve-  
 rò priuata iudicia singulorum pror-  
 suis necessaria sunt ad cognitionem  
 doctrinæ cœlestis & cōfessionem: Ita  
 certum est, ad iudicia publica adhi-  
 bendos plures ex eruditis & pijs, etli-  
 non omnes funguntur publico mini-  
 sterio. Nec inquisitio veritatis est re-  
 leganda ad tempus synodi, sed ultima  
 definitio in causis ambiguis, & decre-  
 tum de mutatione facienda potestre  
 seruari colloquio eruditorum. Inter-  
 ea tamē etiam publicè utile est extare  
 multorum sententiam ex veris fonti-  
 bus quæsitam, vt eò materiæ melius  
 illustrentur, & facilior possit fieri diju-  
 dicatio ab eruditis, si aliquando con-  
 uenturi sunt. Imò & nos has interpre-  
 tationes nostras, quæ in priuatum no-  
 strum usum, vt suprà præfati sumus,  
 conscriptæ sunt, si forte in aliorum  
 manus peruerenterint, subiçimus iudi-  
 ciò piorum, qui candidè secundum  
 verita-

Veritatē vocis diuinæ & sine priua-  
 tis affectibus iudicāt, & prouocamus  
 ad vniuersam Ecclesiam, non tantūma  
 ad illos, qui docent in loco publico.  
 Certū enim est, vt toties diximus, iu-  
 dicia esse totius Ecclesiæ, sicut dici-  
 tur: Vnctio docet vos de omnibus, &  
 vera est, & mendacium non est. Item:  
 Nolite extinguere Spiritus. Item: Si  
 fuerit sedēti reuelatum, taceat prior.  
 Hanc consilij nostri testificationem  
 necesse est nos opponere iniquissimæ  
 censuræ quorūdam, qui cūm suæ cau-  
 sæ diffidant, omnes, quos vlcera sua,  
 et si optimo animo, attrectare vident,  
 opprimendos suadent. Hisciant iniu-  
 stissimè hoc nobis obiei: Currebant,  
 & non mittebam eos; neq; tyrannicis  
 suis molitionibus explicationem ve-  
 ritatis obruēt. Interea tamen nullius  
 vocationem turbamus, nec seditiosis  
 consilijs cœtus diuersum sentientes  
 oppugnamus. Non postulamus, vt  
 collocentur in suggestus Doctores al-  
 terius partis: sed transactione interea  
 certamen hoc sopiri petimus. Accu-

N samus

famus & reprehendimus illos, qui in  
 tempestiuè in publico cœtu afferunt  
 talia, quibus sauciari possunt infirmi.  
 Ideo nequaquam ad plebem Lutherū  
 damnari volumus, sicut omnino pro-  
 pter hos næuos leuiculos nequaquam  
 meretur damnationē: sed sequamur  
 consilium sanctissimi & mitissimi no-  
 strī Philippi, quo profectō nihil po-  
 test tradi salubrius. Explicatio vel de-  
 nitio vltima controvæseriæ reseruetur  
 cognitioni piæ synodi, collectæ ex e-  
 ruditis & pijs multarum gentium, &  
 oremus Deum, vt excitet aliquem ar-  
 matum excellenti autoritate, qui ex  
 nostris Ecclesijs diuersorum regnorum  
 possit conuocare & rectè gubernare  
 synodum, vt ita sublatis istis multipli-  
 cibus dissidijs, corpus doctrinæ inte-  
 grum sine ambiguitate tradatur po-  
 steritati. Interea omnes Ecclesiæ re-  
 purgatae sint concordes, neq; propter  
 hanc dissensionem turbetur pius con-  
 sensus; simus fratres, simus vnum in  
 Christo. Omissis verò locutionibus  
 periculosis de ybiuitate, de mandu-  
 catio-

Catione veri corporis impiorum, & similibus, conueniant Doctores nostra-  
 rum Ecclesiarum de vna quadam for-  
 ma, quæ nullas parere possit offendio-  
 nes. Dicamus cum Paulo, Panem esse  
~~corporis Christi.~~ Vsurpentur  
 phrases in scriptis Philippi traditæ, &  
 dicatur copiose de fructu, cùm hoc  
 sit fundamentum in ista causa. Aper-  
 tè etiam fateor, me vñā cum Philippo  
 libentiūs retinere phrases Paulinas &  
 Philippicas posteriores, quam Augu-  
 stanæ confessionis in hoc articulo.  
 Quia hæc generalis est, & falsus illi à  
 multis affuitur intellectus. Nondum  
 tunc res istæ ita explicatæ erant, & gra-  
 uissimæ erant rationes, quæ mouebāt  
 nostros, ut essent circumspecti. Cer-  
 tissimis testimonijs tamen doceri po-  
 test, quendam ex præcipuis socijs cō-  
 fessionis, eumq; Principem, tunc pa-  
 lam professum esse, non sibi satisfieri  
 in isto articulo à nostris. Quare expe-  
 ctetur huius propositionis declara-  
 tio à pia synodo; aut si quis omnino  
 eam usurpandam esse contendit, exi-

mantur populo impiæ persuasiones,  
& ostendatur, quod voluit autorvnio  
nem Sacramentalem, & præsentiam  
actionis vel efficaciam, non pontificium  
numen stabiliri. Reliquæ verò, ut Pau  
linæ, nihil habet ambiguitatis, & sunt  
tutiores. Disputationes cōtentiosas,  
præsertim publicas, expedit esse sopi-  
tas: & si qui contentiosi ad populum  
lites & turbas mouēt, rectum esse con-  
suluit Philippus, tales ab utraq; parte  
remouere, & substituere modestio-  
res. Rectius autem eruditi & instituti  
in hac parte inter auditores non ha-  
bent causam, cur se se à publico cœtu  
& congressu abstrahant, et si sunt ad-  
huc infirmi & incommodè sentien-  
tes admixti: neq; decet firmiores face-  
re distractiones in populo, neque im-  
portuno tempore aut locis apud ru-  
des de hac causa mouere disputatio-  
nes: sed pia cum prudentia omnes oc-  
casiones scandalorum & distractionū  
vitare, semper cogitare, parcendū esse  
infirmis, ne horum consciētiæ vulne-  
rentur & turbentur, sicut dictum est:

Non

Non deserentes congregationem vestram. Item, Nemini sitis offendiculo. Contrà verò, Doctores etiam ex animo concordia seruire oportet, commendare Ecclesias & doctores alterius partis, & vulgo iniustas persuasiones, quas de illis conceperunt, eximere. Potest etiam prudens cōcionator auditorib⁹ instillare, etsi de cœna exorta sit leuis quædam dissensio: tamē eam tanti non esse, vt communē concordiam turbari expediat: sed Deo & piæ synodi dijudicationi euentū commendandū esse. Huic viæ rectæ & plaræ si inniteremur, non dubium est, Deo iuuāte, animos coalescere, & adiutum strui posse ad concordiam constituantem, quæ multis gentibus salvataris, & Deo imprimis grata futura esset. Nec impediri nos patiamur, etsi fortassis utrobiq; quædam inuenientur vomicæ, quæ sanationem non admittent: tales tamen progressu temporis, putredine & illuuiie sua cōsumpta cadent; nos modò operā demus, ne malum cōtagione serpat longius.

N 3      Expo-

Exposui meam sententiam de compositione, quæ et si non omnibus placet, tamē nihil eo est deterior, <sup>ταξιο</sup>  
<sup>νες γραμματοι</sup>. Gratiorem verò Deo, &  
 honestiorem apud pios eam esse certò scio, quām classica illorum, qui tan  
 quam slabella subinde hoc incendiū  
 augent, & partem vtramque inter se  
 se comittunt, ut in uicem grassemur  
 in nos immanilaniensia, sicut Curetes  
 & Aetoli post captum a primum Calydo  
 nium, donec ex mutua rabie vterque  
 cœtus fatalibus pœnis & tenebris op  
 primetur. Nam Deo ita gubernante,  
 his ipsis, qui nunc facilem sibi promit  
 tunt victoriam, deletis omnibus, qui  
 contrà audent mutare, aut saltem ge  
 mere propter contumeliam Dei, pro  
 gressiones rcrū paulò post ostendent,  
 verum esse hoc, quod ille, vtramque  
 fortunam expertus, dixit: Nusquam mi  
 nus euentus, quām in bellis, respon  
 dent. Omnino enim, ut quidam vir  
 sanctus dixit: Etiam in hac causa tan  
 dem vincet veritas. Interea omnes pij  
 & sanabiles nobiscum ardentibus vo  
 tis

tis orent propitium Deum, faciat, vt  
 summus noster Pontifex filius Dei ex  
 suo capite in suas genas, vestimenta &  
 fimbrias, id est, in nos, qui sumus mem-  
 bra ipsius, effundat fragrātia balsama  
 Spiritus sancti, qui in nobis excitet lu-  
 cem agnoscētē Deum sine tenebris,  
 & veros atque salutares motus con-  
 gruentes cum æterna norma mentis  
 suæ, & corda nostra mutuò copulet  
 vera & ardenti dilectione, vt o.

mnes simus & sonemus

vnum in ipso, A.

men.

## Nostre **4** dei **ne** I

# ΠΕΡΙ ΤΗΣ ΤΟΥ ΚΥ

ΠΙΑΚΟΥ ΔΕΙΠΝΟΥ ΠΡΟΘΕ-  
ΩΣ ΒΕΛΤΙΤΑΤΗ ΔΙΑΒΟΙΑ.

## I.

**I**N propositionibus diuinæ vocis nulla est vera vel realis contradictione, nulla etiam vera ambiguitas aut obscuritas.

Istæ due propositiones: Panis est corpus Christi: & Corpus Christi phisical locatione est in cœlo, intellectæ nude sine tropo, vere & reliter inter se pugnant.

Ergo impossibile est ut ratiō intelligi simpliciter sine tropo.

## I I.

Articulus fidei simpliciter sine allegorih proorsus ut sonat litera, accipiendus est. Ergo propositionem Cœnae necesse est esse figuratam.

## I I I.

Tropum monstrat mens vel consiliū Christi instituentis hunc ritum, & ipsa natura vel ratio formalis rei institutæ, quæ est Sacramētum. Ergo omnino statuendum est, propositionem Cœnae esse locutionem sacramentalēm. Locutio vero sacramentalis est proposicio, in qua nomen rei significatae tribuitur signo, ut ostendatur.

ostendatur, ritum hunc esse sacram actionem, non physicam, non magicam, & verè credenti in vsu eadari, quorum hic ritus est pignus vel signum. Et docendi causa eiusmodi propositiobibus ascribi possunt metonymia & synecdoche. Sacra menta enim signa sunt rerum diuinorum, & testimonia applicationis beneficiorum oblatorum in promissione vniuersali ad singulos. Ergo vera sententia propositionis Cœna erit ista: Panis est pignus, signum, vel sigillum, in vero vsu credenti testificans, corpus Christi fieri nostrum merito & efficacia. Quia pro nobis est traditum: & hac sumptione facienda est commemoratio Christi viuentis in suis. Calix est nouum Testamentum in sanguine Christi, id est, pignus novi fœderis, testificans in vsu, credentem esse ablutum sanguino Christi, & fieri socium omnium beneficiorum, quæ pijs parta sunt sanguine vel obedientia Christi.

## ΕΚΘΕΣΙΣ RATIO- NUM PRAEDICTARVM.

### I.

**M**enor primi argumenti vera & firma est. Vtraq; enim propositio est Christi: nec

*ſti: nec minius, ſi nude intelligas, diſſentientiis  
quām iſta, Oculum qui te offendit, eruas: &  
Non occides, ſcilicet neq; in toto, neq; in parti.*

*I I.*

*Articulus fidei certissima habet testimoniā diuinæ vocis, & vniuersæ antiquitatis.*

*I I I.*

*Faciliſ tertij argumēti eſt probatio. Quid  
perpetua diuinæ vocis in loquendo ea eſt con-  
ſuetudo. Quia Christus imitatus eſt phraſes  
veteris Testamenti, de manducatione agni, &  
asperſione ſanguinis viſtimæ: qui ritus erant  
typi beneficiorum Mēſſiæ. Quia ſequens propo-  
ſitio, quam imitatus eſt Paulus: Calix eſt no-  
uum Testamentum in ſanguine qui effundi-  
tur, manifeſtē explicat priorem, & nemo dice-  
re poterit, hauriri corporaliter ſanguinē Chri-  
ſti effuſum. Quia ita interpretatur Paulus:  
Panis eſt hoīouvi: & omnes veteres, qui pa-  
nem nominant figuram, ſignum, ſymbolum,  
& virtutem pœnae.*

#### *C O R O L L A R I V M.*

*Sic corpus Chriſti abductum eſt à nobis, &  
panis tantum eſt figura vel pignus corporis,  
qui credentes fidei vniuntur: Ergo vniuersitas  
cum eſt manducatio veri corporis Chriſti, que  
fit*

fit fide: & impij manducant solum symbola,  
 quæ nomen corporis relatiue sustinent: fiunt  
 autem rei veri corporis Christi, quia contume-  
 lia afficiunt sigillum vel pignus corporis Chri-  
 sti. Nec tamen irrita fit Christi institutio, quia  
 Sacra menta, quæ sunt sigilla institutæ fidei, vel  
 signa confirmantia fidem, necessariò fidem re-  
 quirunt, nec profundit ex opere operato nō agen-  
 tibus pœnitentiam. Quare præsentia sacra men-  
 tali, vel præsentia ad efficaciam vel inhabita-  
 tionem solis credentibus Christus præsens est,  
 impijs vero præsentia vniuersali, nominatim  
 propter hanc contumeliam & contem-  
 ptum eos iudicans &  
 damnans.

## SPON.

## SPONGIA

*EXIGVA ET MOLLIS,*  
*comparata ad eluendos colores : quos illum*  
*controuersia de sacra Cœna D. Paulus*  
*Eberus, pastor Ecclesiae VVit-*  
*zenbergensis.*

**V**T prima vox de Christo re-  
 cens in hunc mundum na-  
 to Angelorum ministerio  
 ad pastores perlata est: Ira  
 Pastores & Doctores in Ecclesia decet  
 in primis esse doctrinæ de filio Dei te-  
 stes & propagatores: atq; imitari an-  
 gelicum cœtum, inchoare hymnum  
 de beneficijs Christi, sonare gloriam  
 Deo, hominibus pacem & lætitiam.  
 Etsi autem omnibus temporibus im-  
 menso Dei beneficio subinde excitâ-  
 tur aliqui Doctores ornati donis ege-  
 gijis à Deo, qui cœlestis vocis de Chri-  
 sto sunt repurgatores & perspicui te-  
 stes veritatis: tamen in hac mundi lan-  
 guida senecta multorum vox de qui-  
 busdam partibus doctrinæ lāguidior  
 est,

est, minus clara & concinna. Quod  
cūm iustis de causis reprehendāt hoc  
tempore in D. Paulo Ebero pīj multi,  
dolemus ex animo eum talem esse, vt  
verè ei possit id tribui. Et precamur fi-  
lium Dei sedentem ad dextram æter-  
ni Patris, & dantem dona hominibus,  
vt ipse pastores fideles ærumnoso suo  
gregi proponat, qui & salubria mon-  
strent pabula, ac terreāt lupos insidi-  
antes imbecilli agmini, & in ipso cœ-  
tu autores sint communis pacis, & re-  
tineant lātitiam conscientiarum, nē  
fiant diuulsiones exitiosæ, quales Dia-  
bolus & multæ pestes Ecclesiæ imma-  
ni rabie moliuntur. Sicut autem Pa-  
stori, precentori sacri hymni, rectū est  
respondere, & ipsi accinere suum cho-  
rum: Ita in Ecclesia necesse & utile est  
de grauibus doctrinæ partibus multo  
rum extare iudicia & confessionem,  
vt dicitur: Sermo Christi habitet in-  
tervos opulenter, &c. Luceat lux ve-  
stra corā hominibus, &c. Quare cūm  
in grauissima & verè deploranda con-  
uersia de sacra cœna, D. Eberus suā  
publice

publicè recitauerit confessionem: ita  
 eaverò multis pijs videantur simpli-  
 ci fundamento assutæ quædam stipu-  
 læ, neque satis commoda & amica via  
 monstrata ad cōcordiam, opponitur  
 isti scripto hæc breuis & simplex re-  
 sponsio. De ea oramus ut χωρὶς πενογί-  
 οματθ, non μὴ πρόσκλισις, pijs Lecto-  
 res iudicent & videant, vtra senten-  
 tia & magis sit analoga fidei, & utilior  
 miseræ & mœstæ Ecclesiæ. Ne queve-  
 rò dubitamus & D. Eberum cum for-  
 sitan hanc διατριβὴν inspexerit, æ quo  
 animo hanc piam & modestam ad-  
 monitionem admissurum esse ἀγαθή  
 Απόστολος εἴτε τούτος, inquit ille hu-  
 manus & prudens senex. Et Aposto-  
 lis inquit: Docete & commonefaci-  
 te vos mutuò. Ac præcipue in Eccle-  
 sia non est stabilienda indigna & per-  
 nitiosa seruitus: quasi corum qui an-  
 tecellunt autoritate, dicta, sine illa  
 inquisitione accipi necesse sit: cùm  
 scriptum sit: Omnia probate, quod  
 bonum est, tenete. Item: Funda-  
 mentum aliud ponere nemo potest,

& cætera. Item : Super fundamen-  
tum aliqui extruunt stipulas, & cæte-  
ra. Etsi autem nostro consilio pote-  
ramus instituere ordinem disputatio-  
nis : tamen ut magis perspicua sit no-  
stra sententia , imitabimur seriem li-  
bri ab ipso editi, & tantum præcipua,  
in quibus maximè confidit, attinge-  
mus. Solet enim ille multa ludere,  
cui rei nobis non vacat indulgere. Et  
stultitia est velle omnes & οὐλογίας, &  
cauillos curare, postquam fundamen-  
ta rerum tenemus, quæ nobis, Deo  
iuante, non obruet ingens verborū  
chaos, quod accersit. In Proœmio lō-  
ga oratione redditrationem sui con-  
silij: nec vult videri hanc Camerinam  
alieno tempore mouisse, aut hac sua  
testificatione, aut condēnatione crea-  
re periculum multis pijs, in Ecclesijs  
aliarum gentium. Ea de re nostrum  
subijciemus iudicium , vbi priùs de  
causa ipsa statuerimus. Nam si ex-  
posuit necessarium caput doctrinæ,  
& habet vera testimonia cœlestis vo-  
cis, iam cōstat, veritatis cōfessionem  
ante.

anteferendam esse, non modò salutis  
multorum regnum, sed prorsus o-  
mnibus rebus humanis, sicut dicitur:  
**Qui** nie confessus fuerit, &c. Item, Si  
quis aliud Euangelium docuerit, &c.  
Nunc verò neruos disputationis ipfi-  
us, derasis coloribus, qui maximā par-  
tem complent libri, scholastico mo-  
re proponimus: & hortamur pios &  
eruditos, ut abducāt oculos à pignē-  
tis, & quætant vera causę lineamenta.

## PRIMA PRO- POSITIO.

**F**atemur ἡρτήσια in Ecclesia esse,  
non conclusiones demonstrates,  
extructas per rationem syllogisticam  
intellectus humani, sed testimonia  
vocis cœlestis, prolata ex sinu æterni  
Patris per filium Dei, patefacta & repe-  
tita in Ecclesia omnibus temporibus.  
Ideo fulmina cōtra audaciam huma-  
nam delabentem ab autoritate vocis  
diuinæ, ad propositiones congruen-  
tes cum iudicio rationis, nos nihil fe-  
riunt. Quia pugnamus non de absur-  
do phy-

do physico, sed Theologico. Recte igitur, et si ad perstringendos rudiorum oculos, nobis obijcitur, nos in verbis Domini: *Hoc ē corpus meum, ponere tropum, ut vitentur absurdā, dummodo intelligentur absurdā, quae pugnat cum verbo Dei & regula fidei, & huic fundamento addatur expositio Christi & Pauli, & doctrina & forma loquē descripturæ de sacramentis, & consensus veteris Ecclesiæ. Quibus omnibus nos insistere ac niti, suo loco, Deo dāte, ostendemus.* Qui autem doctrinā de persona Christi, & de distinctis naturarum in eo proprietatibus, patefactam in verbo, vocat Philosophiam humanam, id in sua schola, & sua sapientia faciat. Nobis crassis hominibus non vacat ei auscultare, sed dicimus, nos impugnare ipsius falsas opiniones: nō cō quod cum ratione, sed quod cum verbo Dei, cum articulis fideli pugnent, quos inter se optimè cōsentire, & vnam copulatiuam efficere statuum. Ex philosophia vero si quis illis contradicit, eum non audimus.

O Possu-

Possimūs verò eadem exempla, quæ  
specie plausibili citat, multò verius al-  
legare cōtra ipsum. Ut primi parētes,  
decepti à Diabolo, à voce diuina quæ  
erat addita externo signo, videlicet, ar-  
bori, ut ipsis esset commonefactio de-  
volūtate Dei, & fidei exercitium, dis-  
cesserunt: & tribuerunt ipsis ligno, vel  
fructui vim physicam aut magicā con-  
ferendi ipsis similitudinem Dei, & sci-  
entiam boni ac mali: ut etiam Cain,  
& cōetus idololatricus Ethnicorū fa-  
cificijs opinionem meriti addidit, &  
ignem ipsum pro Deo coluit: ita accu-  
sandi sunt illi, qui aut nihil, aut segni-  
ter considerant sentētiā promissio-  
nis, quæ concionatur de bonis homi-  
nibus donādis: & interea extra & pre-  
ter mentē promissionis acerrimē sta-  
biliunt alligationē aliquam substanci-  
talem vel physicam Christi ad panē:  
quæ tamē præsentia homini contin-  
gere non potest, sed symbola autori-  
tate quadam & gloria diuina ornat,  
& occasionem tetræ idololatriæ præ-  
bet.

# SECVNDA PRO. POSITIO.

**F**irmissime tenemus has hypotheses, sacramenta esse actiones, & talia esse in v̄su solūm, nō extra v̄sum institutum. Item: Adesse Christum non propter panem, sed propter hominē. Ideo, vt forma substantialis calefactionis est introductio nouæ qualitatis in subiectū quod mutatur: & sicut forma limitis est ipsa agrorum distinctio: ita huius sacramenti forma substantialis est, non copulatio aliqua physica duarum substantiarum, Christi & symbolorum, sed ~~hominis~~ vno Christi & sumentis. Quia actio hominem, non simbola respicit. Atq; in talibus vocabulis relativis, norunt omnes docti, formā substantialē, & finē principalem, non discerni realiter. Finis verò correlatiūs est ille, quo respōdet passum agēti. Ignis agit in aquā, vt illi imprimat similem qualitatē: finis correlatiūs est, vt aqua deinceps similis sit igni.

O 2 Ita

Ita filius Dei voce promissionis, & ob-  
 signatione sacramentali, vel illa sacra  
 actione, per Spiritum sanctum vult in  
 te esse efficax, & te sibi vnire: atq; ista  
 vnio fornia est huius actionis: finis  
 correlatinus est, vt deinceps pij simi-  
 les sint ipsi, ac vnit i ipsi, vel, vt loquun-  
 tur verba institutionis, vt ita fiat com-  
 memoratio Christi, videlicet, Christi  
 præsentis & habitantis in suis. Quare  
 distinctio illorum, qui substantiā cœ-  
 næ discernunt à fructu cœnæ, & sub-  
 stantiā referunt ad coniunctionem  
 Christi cum symbolis, nō est toleran-  
 da. Et quidē in descriptione vnionis  
 sacramentalis, quo vocabulo demen-  
 tant homines, necessariò à se ipsis dis-  
 sentiunt, cū eam alias ad prædicamen-  
 tum relationis, alias ad prædicamen-  
 tum substantiæ referant. Veritas ista  
 est: Vnio sacramentalis non est physi-  
 ca duarum substantiarum cōiunctio,  
 sed est relatio, hoc est, ordinatio, qd  
 Christus cum rebus externis ab ipso  
 institutis, intus in corde credētis pēt  
 Spiritum sanctū ea vult efficere, quæ  
 pro-

promittit verbum. Recte igitur dicitur, Panis nullam factā esse promissionem, sed totum beneficium pertinere ad hominem. Ac quid disputant de pane? At qui panis nō est sacramentum, sed actio est sacramentum. Considerunt autem omnia ipsorum portentosā figurāta, quibus mendacia & idola in cordibus hominum confirmāt, seruato hoc vno fundamento, quod sacramenta sint actiones, id est, ceremoniæ externæ visibles, atque ideo sensibus expositæ, quæ tanquam incredulitati nostræ adminicula, nos confirmant inde, quod Deus affirmat se tā certò dare nobis inuisibilia, quam certò fiant à nobis actiones visibles, id est, confirming ratiocinando, non arcana aut magica vi, non ut medicamentum sanat morbum. Nequaquam verò sunt noui articuli fidei, id quod essent profecto, si essent actiones inuisibles. Res autem, aqua, panis, vinū, sunt harum actionum seu fundamenta, seu termini. Sacramētorum autem termini, id est, fines seu usus harum ce-

remoniarum à Deo ordinatī, faciunt  
 ut sint sacramenta. Inter hos primus  
 & principalis est cōfirmatio fidei seu  
 promissionis gratiæ, seu beneficiorū  
 Christi applicatio ad singulos. Cūm  
 igitur nihil habeat rationem sacramē  
 ti extra usum institutum, qui est con  
 firmatio fidei, seq̄tur, firmissimè man  
 ducationem tantum spiritualem ec  
 se, quæ sit fide. Nec patiatur hoc loco  
 Ecclesia sibi obtrudi fundamentum  
 seu materiale cœnæ βλακμὸρ corpus  
 & sanguinem. Nam hæc sunt signatū,  
 id est, illa dona quæ hīc promittuntur,  
 & quorum perceptio nobis obsigna  
 tur. Non igitur confundenda cum si  
 gnis. Analogia signi & signati est ipsa  
 relatio inter hæc duo, seu, vt ita dicā,  
 signatio, vt inter limitem & limitatū  
 limitatio. Hanc dicimus non solū  
 allegoriam rituum, sed etiam, & qui  
 dem præcipue obsignationem. Ho  
 rum verò utrumque tollitur, cūm una  
 & eadem res, videlicet corpus, dicitur  
 signum & signatum. Ut igitur res ma  
 gis intelligatur, simul hoc loco detra  
 hatur

hatur aduersarijs hæc larua, q̄ Christū  
& eius manducationem dicunt esse  
signum, siue sacramentū. Nam primò  
signa oportet esse visibilia. Secundò  
aliud significare. Neutrū dici potest  
de manducatione corporis Christi,  
quæ creditur, nō sensu percipitur: cer-  
ta est ex promissione Christi, nō ex iu-  
dicio sensus, vt sunt signa. Neq; hęc a-  
liam rem significat, sed ipsa est illud  
ipsum quod signo denotatur. Hæc ge-  
neralis doctrina de Sacramentis, quid  
sint, & quis eorum usus, primū sit in  
conspectu.

### TERTIA PRO- POSITIO.

**R**ecitat deinde historiā horū mo-  
tuum: testatur seriò sese reijcere  
trāsubstantiationē, eamq; esse funda-  
mentum regni Pontificij; sed neq; se  
probare posse audaciā Carolostadij,  
Zwinglij, & sociorū, qui propter ab-  
surda physica, & ex curiositate, disces-  
scrūtā p̄prietate verborū, ad interpre-

O 4 tatio-

rationes tropicas. Narrationi huic  
 respondemus, metusq; Pontificiorum,  
 q; si est falsa & explodenda, tamen no  
 est tanti momenti, vt, Si in causa Cœ  
 nae nulla alia est dissensio, necesse sit  
 nos in hoc articulo segregare ab ipsis.  
 Nam vbi retinetur regula de vsu, ma  
 nifestū est, vt quidem deinceps ostendemus, leuissimum esse discrimen. Et  
 in hanc sententiam dixit Lutherus,  
 transsubstantiationē credere, vel non  
 credere, esse adiaphorum. Alij igitur  
 tam acuti & tam perspicacibus oculis  
 no essent, vt est D. Eberus, qui ait eam  
 esse fundamentum regni Pontificij.  
 Nos potius Pontificij status basim di  
 cimus esse, no abolitionem panis aut  
 vini, sed præsentiā corporalem. Quòd  
 verò subinde exprobrat, Carolostadi  
 um, qui multa sparsit deliria, authore  
 esse huius dogmatis, profitemur, sig  
 dem Carolostadius, Zwinglius, aut  
 quicunque alij in hac fuerunt opinio  
 ne, Sacramenta esse vacua & inania si  
 gna, aut tantum repræsentationem  
 quasi scenicam Christi absentis; nec  
ea

ea prodeesse ad fidei confirmationem,  
nec Spiritum sanctum esse efficacem  
per Sacra menta, nos serio ab ipsis dis-  
sentire, & verè credere, hanc actionē,  
sicut & alia sacramenta, esse sigillum  
iustitiae fidei, panem benedictionis, &  
calicem benedictionis in vsu esse <sup>non</sup>  
~~re~~ corporis & sanguinis Domini.  
Quod verò reijcimus alligationē cor-  
poralem Christi ad symbola, non mo-  
uemur absurdis physicis, sed testimo-  
nijs diuinæ vocis, quæ huic imagina-  
tioni perspicuè refragantur.

## QVARTA PRO- POSITIO.

Dicit roponit deinde, vt ipse ait, præci-  
pua argumēta aduersariorum, &  
initio fatetur, non se posse ad omnia  
respondere, neq; tamen hoc referre.  
Deo enim mandanti credendum, e-  
tiam si multa contrà disputet ratio,  
quæ sint inextricabilia homini. Huic  
Gorgoni quā obijcit multitudini im-  
peritæ, respondeo : Sicut Apostolus

O s præ-

præcipit, vt doctores Ecclesiæ sciant refutare contradicentes: ita non dubium est, doctrinā fundamenti ea traditam esse perspicuitate, vt sit intelligibilis, & in ea nullas esse propositiones verè contradictorias. Quare respondentem ad testimonia diuinæ vocis, non dubium est, veritatem singulorū articulorum fidei, posse exponere: atque etiam corruptelas eorum, qui aut infiducia aut malitia, dicta scripturæ deprauant, posse redarguere: etli in hac nostra imbecillitate magnitudinem rerum, de quibus cōcionatur vox diuina, exhaustire non possumus, nec causam diuinorum operum ex iudicio rationis reddere.

## QVINTA PROPOSITIO.

**R**ecenset primo loco tale argumentum. Vbi dictū aliquod scripturæ pugnat cum alio articulo fidei, oportet decurrere ad interpretationē tropicam. Hæc propositio: Panis est cor-

corpus Christi, pugnat cum articulo fidei, Ascendit in cœlum : Ergo mitigada est interpretatione figurata. Respondet ad regulam de absurdo, non habere eam locū in articulis fidei: ppter ea, quod hi expositi sint sermone simplici, sine vlla ambiguitate. Deinde cū neq; Christus vlo alio in loco, quod aliās solet, hāc propositionem tanquā figuratā exposuerit: neq; Paulus redarguerit falsum intellectū hius propositionis, sed simpliciter verba Euangelistarū repetiuerit, nullus est locus tropo. Si verò dixeris, esse absurdū physicū, scito Deo nihil esse impossibile. Præterea frustra allegatur absurditas theologica, quæ hoc loco nulla est: sicut ostendi potest exēplis similibus. Absurdū erat mandatū de circumcisione intelligere sine tropo: tamen Abrahām cum Deo non litigauit. Mandatum etiam datum Abrahā de necando filio, pugnabat cum quinto præcepto Decalogi, & cum articulo de Messia nascituro ex Isaac: tamen Abrahā nullū quæsiuit tropū.

Arti-

Articulum fidei, inquit, nō labefactamus. Natura humana Christi non est ubique. Retinemus etiam regulam, Negans proprietates, negat naturam; sed modus præsentia corporis in Cœna interim tamen verus est, sed imper-  
uestigabilis. Quia Dœo omnia possibi-  
lia. Dicta verò scripturæ, quæ testatur  
abductam esse à nobis naturā huma-  
nam Christi, loquuntur de præsentia  
eius corporali, visibili, nobis crepta.  
Atq; hæc ferme sunt, quæ ad primum  
argumentum pertinent.

## SEXTA PRO. POSITIO.

**A**gnosco nostrum argumentum,  
illudq; tale esse statuo, ut nulla  
sophistica possit labefactari, aut cuci-  
ti: sicut credo omnes prudentes vide-  
re, quām malè constet fucosa illa re-  
sponsio, quæ opponitur. Audi igitur  
veros neruos causæ. Affirmamus in di-  
ctis diuinæ vocis, & præcipue in do-  
ctrina fundamenti, nullam esse veram  
vel

vel realem contradictionem. Iam cū  
 istae duæ propositiones, *Panis est corpus Christi*: & *Corpus Christi physica locatio-*  
*ne est in cœlo*: quod docet articulus fidei, verè & realiter inter se pugnent,  
 impossibile est, utramq; intelligi sine  
 tropo. Articulus autem fidei, qui ha-  
 bet plurima & certissima testimonia  
 scripturæ & antiquitatis, non potest  
 intelligi figuratè: necesse est igitur al-  
 teram propositionem, quæ solùm uni-  
 ca & sacramentalis est, intelligi cum  
 tropo, scilicet, sacramentali: sicut pau-  
 lò post dicitur. Quod dicitur, Regulā  
 non habere locum in articulis fidei,  
 valde incautè dicitur. Primum tenen-  
 dum est, neque in doctrina legis, neq;  
 in doctrina articulorum fidei, ullam  
 esse veram contradictionem. Sicut igi-  
 tur istae duæ propositiones, *Christus est Deus*: & *Christus non est Deus*, nunquam  
 simul veræ sunt: ita neque veræ sunt  
 istæ, Non occides: & Eruas oculum  
 tuum, si velis utramq; simplicitet in-  
 telligere. Quare concludo vniuersam  
 doctrinam fundamenti sibi constare:  
 neq;

neq; in ea vllam esse contradictionē.  
 Quia Deus nobiscū loquutus est no-  
 stris vocabulis, noluit sese intelligi,  
 non verò ulla nos ambiguitate, sicut  
 folijs Sibyllæ, decipere. Secundò, arti-  
 culi fidei potior est habēda ratio: ne-  
 que ille, quod multi faciunt, in allego-  
 riā est transformandus: quia sēpissi-  
 mè est repetitus: & immutabilis veri-  
 tas est, Christum retinere corpus hu-  
 manū cum omnibus necessarijs pro-  
 prietatibus corporis. Propositio verò  
 sacramentalis tantūm vnicā est, et si à  
 pluribus Euangelistis recenseretur. Et  
 sacramenta, quæ pertinēt ad ministe-  
 riū, discernenda sunt ab articulis fi-  
 dei. Ministeriū enim est ordo institu-  
 tus, ut hoc modo fiat denunciatio, &  
 per factamēta applicatio, uel obsigna-  
 tio bonorum, quæ offeruntur in arti-  
 culis fidei. Quare impossibile est arti-  
 culū fidei cedere ordinationi, quæ est  
 propter eū instituta: & quæ quidē so-  
 lūm in hac vita locum habet, desitura  
 est aut in vita æterna. Deinde intueri  
 perpetuā rationē præsentiaz, qua Chri-  
 stus

Itus adest, & verbo & sacramentis. Ad-  
 est liberè ex pacto, nō aliqua alligatio  
 ne physica, vel substantiali ad illas res  
 externas, sed adest præsentia efficacię,  
 quæ homini credenti salutatis est, in  
 quo vult efficere, quæ promittit Euā-  
 gelium. Præterea, quia Deus, vt mede-  
 tur humanæ infirmitati, verbo suo  
 addidit externos ritus, qui sunt testi-  
 monia & pignora applicationis aeter-  
 norum bonorum ad singulos creden-  
 tes: Ideo perpetua consuetudo est di-  
 uinæ vocis, illis externis signis tribue-  
 re appellationem rei signatæ, sicut o-  
 stendunt hæ propositiones: Circum-  
 cisio est fœdus: Agnus est pascha: Hic  
 est sanguis fœderis: Baptismus est la-  
 uacrum regenerationis: Ita, Panis est  
 corpus Christi: Calix est nouum Te-  
 stamentum in sanguine Christi. Re-  
 gissimè igitur in propositione sacra-  
 mentali statuitur tropus sacra-  
 mentalis: qui est Synecdoche & Meto-  
 nymia. Vbi deinde dicit D. Eberus:  
 Nusquam, nec ab ipso Christo, ne-  
 que à Paulo, monstratam esse alianī

inter-

interpretationem : respōdemus cum  
 Chrysostomo, nullam motam fuisse  
 ab Apostolis super ea re disceptatio-  
 nem: quia agnoscebant usitatā phra-  
 sin Christi: & intelligebant promissio-  
 ni de efficacia sua in credentibus, vel  
 de mādūcatione suæ carnis, addi hūc  
 externū ritum, tanquam pignus. Ne-  
 que Paulus redarguit Corinthios, q  
 propositionē hanc simpliciter intelli-  
 gerent: quia nemo tunc ita intellige-  
 bat. Et quiscredat eam futurā fuisse in  
 Corinthijs, in primio religionis Chri-  
 stianæ seruore, profanitatem, quā de-  
 scribit Paulus, si statuissent ibi corpo-  
 raliter adesse Christum cum pane? Ve-  
 rum de expositione Christi & Paulina  
 paulò post dicetur. Ad exempla Abra-  
 haꝝ, quæ ita mirificè pinguntur, facili-  
 ma est responsio. Nulla erat causa, cur  
 Abraham Deo, mandanti ritum Cir-  
 cumcisionis, nō obsequeretur: & ipse  
 optimè intelligebat, modum ritus re-  
 spicere ad promissionem de semine.  
 Semper enim est analogia inter signū  
 & signatum. Vbi Deus iussit Abrahā  
 mactare

mactare filium, verè statueruntur voluntates contradictoriæ: sed mandatum hoc erat particulare, nostrum est vniuersale, & textus dicit: Deum tentasse Abraham: ideo & hoc mandatum revocatur, atque ita nulla planè ad hoc negotium congruentia. Cùm exponit articulum fidei, credo omnes oculatos animaduertere, quomodo, ut olim dictum est, aliud pes, aliud cythara sonat. Natura humana non est ubiq;: & Natura humana corporaliter est in cœna, ait inter se non pugnare; eadem opera dicat, ex quanto præcepto excipiendum hoc dictū: Eras oculū qui te offendit. An hoc verò non est statuere in Deo voluntates contradictorias, & contradictiones veras in dictis scripturæ: atque ita pertulantibus ingenij spate facere infinitam licentiam ludendi opinionibus quibuscumque? Deinde citat regulam Lutheri: Negans proprietates, negat naturam. Hic, quæso, expurgiscantur omnes defensores harum opinionū. Virgo enim eos hoc pacto. Stante ve-

P      ritate

ritate huius regulæ, peto à vobis, mō-  
 stratè nobis vnicam proprietatem ve-  
 ri illius corporis, quod ponitur in vſu  
 cum pane, & mementote, carnem &  
 ossa esse partes integrales, nō proprie-  
 tates corporis. Vbi verò nullam indi-  
 care potueritis, quęſo date locū Axio-  
 mari Lutheri, & fateamini vos verum  
 corpus negasse. Naturam humānā nō  
 bis adesse inuisibiliter, hęc regula etiā  
 non concedit. Meminerunt omnes  
 pijs huius dicti: Videte me, & conre-  
 state me, id est, natura humana Chri-  
 ſti est visibilis & tangibilis, non inui-  
 bilis & effugientiaſtum. Quod præ-  
 terea dicit, modum præsentiaſt in Cœ-  
 na esse imperuestigabilem: ſciant do-  
 cti, hoc ſine ratione affirmari: Et qui-  
 dem perspicua eſt refutatio. Ministe-  
 rium institutum eſt propter humānā  
 infirmitatem. Bona quidem, quaꝝ of-  
 fert promissio, vel articuli fidei, verē  
 infinita & imperuestigabilia ſunt, ſed  
 mōdus denunciationis, præſentiaſt &  
 applicationis per ministerium, maxi-  
 mè debet notus eſſe pijs, quia xprius  
 eſt

est huius vitæ, & desiturus est in nouo  
regno Christi. Stat igitur prima no-  
stra ratio immota: Propositio Christi  
sacramentalis, sacramentaliter acci-  
pi debet, ita ut det testimonium de ar-  
ticulo fidei, non ut eum labefactet.

## SEPTIMA PRO- POSITIA

**A**D testimonia antiquitatis, quæ  
allegamus pro cōfirmatione no-  
stræ expositionis, respōdit D. Eberus:  
Veteres, vt Augustinum, Ambrosium  
& alios, parum sibi constare. Loqui e-  
nim eos hac de causa dissimiliter: sic  
ut vīstatū est, aliter differere inter do-  
ctos, aliter in popularibus concioni-  
bus. Hic posset paulò feruentior cōl-  
locutor interrogare: Quid sentiendū  
sit igitur de antiquitate, si ea in do-  
ctrina, vt ipse vult, fundamenti, malè  
locuta est. Sed manifesta est veritas;  
Omnes Græci panem nominant sym-  
bolum corporis, ἄντινην σῶμα Latini  
verò signum, figuram &c. Ergo nobis-

cum consentiūt. Si quando verò symbolis tribuunt appellationem corporis & sanguinis, faciunt hoc exemplo, & in sensu Christi, videlicet, locutio ne sacramentali. Cuius rei hęc sunt argumenta.

I. Ipsi ita enarrant propositionem Christi: Hoc est corpus meum, id est, figura vel signum corporis.

II. Acerrimè pugnant de articulo, docente, Christum retinere verū corpus: & illud physica locatione esse in cœlo, secundum veri corporis modū: neque nobis reddi ante vltimum diē iudicij.

III. Panem & vinum nominant corpus & sanguinem Christi, etiam extra usum. Ergo non loquuntur de corporali præsentia, sed de relatione, quæ significat ordinationem, videlicet, destinatas esse has res, ut in usu sint plena applicationis corporis & sanguinis Christi: sicut sigillū est pignus donationis, pmissæ per literas. Quare nobiscū stat vniuersa antiquitas, ab æta te Apostolorū, vsq; ad Caroli Magni faculum.

OCTA

## OCTAVA PRO- POSITIO.

Prostea copiosa oratione exponit, quomodo nostri conquerantur, ista opinione præsentie corporalis cū symbolis, confirmari idolatriā pontificiam, adorationem, oblationem, & similes profanationes horrendas. Ibi respondet, iniuriam ipsis fieri. Acriter enim refutari istos abusus. Vnicam esse oblationem Christi: non c̄tiam dirigendam adorationem ad panem. Quia cūm Sacra menta talia sint v̄su: institutio autē mandet sumptuose, non adorationem, iam eam esse explosam. Neque etiam panem eleuantum compellandum: quia omnem invocationem, directam ad certum locum, sublatam esse dicto Christi: Veri adoratores, &c. Ait etiam, et si quis exceptiōnem, nō panem, sed Christum sese al loqui: tamen hoc periculōsum esse ppter scandalū. Atque ista ferme summa est huius partis. Sed profectò piæ mentes non possunt acquiescere in

tam lubrico fundamento. Talē enim  
 faciam analysin. Primū peto nobis  
 monstrari, quid intersit inter pontifi-  
 cios & vestros in hoc articulo de mo-  
 do præsentiae. Pontificij ponūt trans-  
 substantiationem, tu consubstantia-  
 tionem, hoc est, veram vel realem cor-  
 poris Christi præsentiam cum panē in  
 vsu. Iam quāro, quid malis est, si reti-  
 nes regulam de vsu, et si probas μερού  
 σι αρ? At, inquies, etiam in vsu panis &  
 vinum nominantur. Respondebunt  
 Pontificij: Dicta ista loqui, respiciēdo  
 ad sensus humanos, interea fidem a-  
 liud quærere & credere. Et fatearis o-  
 portet, hanc expositionem propiore  
 esse verbis. Eadem autem est in hac re  
 Pontificiorū & vestra doctrina. Nam  
 primò negatio tropi & calumnia, qua  
 cluduntur Veterū interpretationes,  
 ita ut dicantur loquunti de figura Geo-  
 metrica, inferunt transsubstantia-  
 nem, vt ut fese vertat in omnia. Secū-  
 dō, siue consubstantiationem, siue  
 transsubstantiationem velitis, alterum  
 altero non est melius, & cadem ad cō-  
 sub-

Substantiationē, quę ad transsubstan-  
tiationem, sequuntur. Nam abiectio  
crustuli panis, minima pars est mēda-  
ciorum Papisticorum, quāuis & ipsa  
per se magna sit: sed præsentia corpo-  
ralis est robur & thronus Dei Mao-  
zin, id qd' omnes cordati intelligunt.  
De præsentia autem & manducatio-  
ne, in quibus res sita est, etsi verbis nō  
nihil diuersis, idem docetis. Hęc te ho-  
minem examinatorem opinionum,  
non tam non videre, quām nolle vide-  
re existimō. Ideo iusto cūm dolore  
querimur, confīmari & stabiliri hac  
ratione horribiles profanationes hu-  
ijs sacramenti. Et si quialiquid pos-  
sunt videre lucis, quæso excitent se-  
ſe, & hoc præterea cogitent. Tu affir-  
mas, in vſu ex manu Sacerdotis ore te  
accipere verum corpus Christi, quod  
pepēdit in cruce, &c. cum pane extra  
vſum, dicas corpus Christi eo modo  
præsens non esse. An igitur, obsecro  
te, hoc non est definire locum & tem-  
pus præsentię? Annon ista est inclusio  
localis? Iam etsi dices, te non statuere

durabilem alligationem: tamen īterrogo & vrgeo te, ànnon Christo præsentì secundum vitramque naturam realiter cum pane in vsu, debetur ho-nos in uocationis? Respondes primò, Est ibi sine loco. Secundò, hoc non mandat institutio. Rursum audime, Quis te docuit, Corpus Christi existeret ibi vel alibi sine loco? Deinde erit ibi esset sine loco, tamen certissimum est, quod miracula non detrahunt honorem debitum Christo. Nam etiam tunc, cum ambulabat super aquas, inuocandus erat. Deinde ego dico, Mandatum vniuersale esse, ut Christus præsens secundum naturam humanam, ibi compelletur ubi adest; sicut ostendit exempla, Thomæ & aliorum, qui non expectabant mandatum particolare; nec impeditiebat eos dictum, Vcri adoratores, &c. Quia manifestum est, illud loqui de cultu Christi, abducti à nobis verè & realiter secundum naturam humanam, nō præsentis nobiscum præsentia corporali, sed inuisibili, ut tu vis. Præterea dico, ipsam in-stitu-

stitutionem hoc postulare. An enim inuocatio non est præcipua pars com memorationis? Et si igitur iubet te manducare suum corpus; tamen non propterea prohibet illud inuocare. Nam inuocatio pertinet ad instituti onem. Posita adoratione, quam pluri mi ex uestris concedunt & probant, cur reijceres oblationem, cum illa ni hil aliud sit, quam petitio intercessio nis? Piè igitur dicere potest sacerdos: Aeterne Pater, exaudi meas & astan tium preces propter tuū Filium, qui verè & corporaliter hīc adest cum pa ne. Rectè etiam cumulantur Missæ priuatæ, vt fiat ardenter inuocatio, conspectu præsentis Christi. Et cur negares ibi adesse Christum? Annon sacerdos communicans seruat insti tutionem; & reliqui, secundum ver ba institutionis, inuocat Christū præ sentē cū pane? Crede igitur, veneran de mi Ebere, grauissimas habere pias mentes causas sui doloris & querela rum: nec ista vulnera contemne, aut blandiore aliquo fuco tege.

P 5 NO.

# NONA PRO-

## POSITIO.

**P**ergit deinde, & recitat, quosdans  
 opinari, hoc certamen de corpo-  
 rali præsentia, esse inutile. Nullam e-  
 nim posse monstrari utilitatem illius  
 præsentie. His accidit, quod nostri di-  
 cunt, eos, qui dirimunt rixas, graui-  
 res accipere plagas. Valde enim eos  
 obiurgat. Inquit, hoc modo colligi  
 posse, totam cœnam esse inutilē, cūm  
 tamen vniuersa vetus Ecclesia, hoc in-  
 gens mysterium celebrauerit: nūc ve-  
 rò exortos esse istos recentes, qui au-  
 deant cum Deo litigare. Quare? Quo-  
 modo? Et ita hominum animis instil-  
 lare opiniones profanas, cōtemptum  
 religionis. Primū, optimè D. Ebere,  
 ne dicas, oro te, eos, qui de forma sub-  
 stantiali Cœnæ, hoc est, de fructu, ita  
 verè & piè loquuntur, ritum hunc cō-  
 temnere: &, siquidem opus esset, col-  
 latione facilè tibi monstrarem, vtri v-  
 sum Cœnæ illustrauerint rectius, sed  
 parco tibi. Non sum autem profanus

aut

aut Epicureus, et si quarto, quis sit usus  
 ministerij: & quomodo per ministerium  
 Deus in me velit esse efficax. Nam  
 hoc institutum est propter hanc vitam.  
 Ergo in haec vita intelligi potest & de-  
 bet. Veteres celebrant hoc mysterium,  
 & recte: quia respiciunt ad illud ingens  
 bonum, quod filius Dei nobiscum fa-  
 cit societatem, & nos suo corpori ve-  
 re inserit: non autem admirantur co-  
 pulationem veri corporis cum pane.  
 Et quid si tibi ostenderem, tuam illam  
 praesentiam vere esse inutilem homi-  
 ni, & illam auream regulam laudatissi-  
 ma illius animae: Adest non propter pa-  
 nem, sed propter hominem, te & tuam  
 cateruanam potissimum respicere? Ne-  
 que propterea excandescas, audi me.  
 Praesentia ministerij tota respicit ho-  
 minem. Est enim efficacia praesentia.  
 Nam illud verum corpus manducatum,  
 homini non communicatur. Non e-  
 nim credo, te Schyvenckfeldij etiam  
 colores, vere atros, accersere velle: aut  
 dicturum, Christum secundum utramque  
 naturam, communicatione idioma-

tum

tum physica, esse in homine. Vides enim, quale chaos errorum inde oritur. Si homini non vnitur, quid igitur prodest homini? Panis est *nourovia corporis*, inquit Paulus, oportet igitur hominem adipisci illud corpus. Et sic ut vnitur, ita etiam adest. Tua verò præsentia solùm ad panē respicit. Pani enim singulari & nouo modo præsens est, id est, præsentia corporali, homini non item. Quomodo igitur opus est ita acerbè rixari de præsentia cum pane? Ait, sed ita melius acuitur & augetur reuerentia in homine. Respondeo: Si hæc te causa mouet, potius retineto Missam Pōtificiam, quæ profectò longè aptior est ad excitandam externam pietatem in hominc: sicut ostendunt exempla. Sed tu cogita, vtra causa grauior sit, reuerētiæ occasio, an verò hoc mandatum: Fug: te idola.

## DECIMA PROPOSITIO.

**N**Vncincipit exponere & munire suam

suam sententiam. Inquit, se pugnare de substantia Cœnæ, & ingredi se media via inter Pontificios & nostros. Ibi respondeo: Si formam substantiam Cœnæ opinaris esse referendam ad præsentiam cum pane, erras. Sed oculos tuos ad hominem vertas: ibi inuenies, quæ sit ratio formalis istius factæ actionis, videlicet, donatio, quæ contingit homini, & reuera eadē est cum fructu. Neque media incedis via, D. Ebere, sed hęc somnia, & has fordes retines ex illuīe Pontificia: & facilis tibi est compositio cum ipsis. Si enim regula de vsu admittitur, & abrogatur adoratio, repositio, & circumgestatio panis, quæ nō multò antè cœpit, iam sopia est hęc rixā. Adorationē enim in vsu, & oblationē cōcedas oportet.

## V N D E C I M A P R O- P O S I T I O.

**P**rimum argumentum hoc est: In vniuersa institutione seruādum est p̄fēctiō, & omnia vocabula propriè vel

vel simpliciter intelligenda sunt. Dat  
 in manus, iubet comedere: Ergo dat  
 substantiam, non sola accidentia. Dat  
 corpus: Ergo non figuram, sed verum  
 corpus, modo arcano, non aliqua du-  
 rabili alligatione. Demonstrat hoc ex  
 circumstantijs. Primū, loquitur  
 ipse filius Dei, qui omnia potest, & lo-  
 quitur hoc proximè ante agone: Et  
 go sine tropo. Loquitur hoc in men-  
 sa: Ergo edere, bibere, simpliciter. De  
 mādicatione spirituali disertè post-  
 ea dicitur: Hoc facite in mei cōmemo-  
 rationē. Secundò, Hoc corpus quod  
 pro vobis traditur: Ergo corpus verū.  
 Tertiò loquitur ad Apostolos, quib⁹  
 aliás solet declarare parabolās: hīc nō  
 declarāuit, neq; post resurrectionē ali-  
 ter exposuit. In tota narratione tantū  
 vnicus est tropus, Calix pro haustu. Hi-  
 striones in scena, pro occasione dra-  
 matis, solent mutare habitum & cre-  
 pidas, cum sint ijdem: ita colores nō:  
 uōs, & paulò blandiores, quàm sunt  
 aliorum, argumēta noua non video.  
 Primū, Pontificijs nō deest respon-  
 sio

sio ad illa scholia verborum: & siquidem ~~metastia~~ non potest refutari alijs rationibus, nulla causa est, cur non approbemus Missam. Aiunt enim, Corpus Christi quasi vestiri illis accidentibus coloris, saporis, grauitatis, & cætera. Et scire velim abs te, D. Ebere, si profiteris, prorsus te ignorare modum præsentiae: quomodo igitur scias, cum ibi non esse transsubstantiationem? Cur tibi permittis hoc inquirere, quod alijs vetas? Postea ubi iugulat veros aduersarios, ait, in tota narratione vnicum tantum esse tropum: Calix pro haustu.

Optime, D. Ebere, docuisti & edisti aureos illos Commentarios in Epistolam ad Corinthios, quorum sententiam de Cœna profitemur nos amplecti, nec requirere quid amplius. In illis dicitur: Calix est nouum Testamentū, esse propositionem figuratam, similem huic: Fasces sunt imperium Romanum: ibi quero, utrum metonymia sit tantum in voce Calicis, an vero in tota propositione?

Non

Non quidem in solo vocabulo. Nam  
 ex puerili Grammatica notum est, Po-  
 culum pro haustu, esse synecdochē,  
 non metonymiam: Ergo in tota pro-  
 positione: quæ non potest aliter enar-  
 rari, quam hunc haustum esse pignus  
 noui Testamenti, vel noui federis,  
 quod sanctitur sanguine Christi. Inq.  
 Sanguis est sigillum noui Testamen-  
 ti: Imò, cōmunicatio sanguinis Chri-  
 sti est ipsa res, quæ ob-signatur illo hau-  
 stu. Hoc vnum est. Deinde, si tu adeò  
 fortis es in defensione ~~m̄p̄to~~, quæ cau-  
 sa est, cur te patiaris ab eo simplici in-  
 tellectu abducere? An is, qui hāc propo-  
 sitionē: Panis est corpus, ita enarrat,  
 hoc est, cum, in, vel sub pane exhibe-  
 tur verum corpus homini, retinuit  
~~m̄p̄to~~? Profectò nimium credulos re-  
 quiris discipulos, si tibi credi postulas  
 incredibilia & contradictoria. Ulte-  
 riùs, accipimus tuas ratiocinationes  
 deductas ex circumstantijs: sed vide,  
 ne in tuis vulnerib⁹ tuas pennas agno-  
 scas. Ita enim argumentor: Filius Dei  
 instituit tunc ministerium, instituit  
Sacra.

Sacramentum. Ergo sacramentaliter locutus est: neque condere voluit nō uum articulū fidei, sed promissiones Euangelij nouo ritu confirmare. Vr- ges postea: Verba cœnæ dicta in men- sa, simpliciter accipiēda. Quis negat? Non enim opinari debes, nos ritum hunc, exemplo Schyvenckfeldij, trās- formare in allegoriam. Sed tu distin- gue rem terrenam, & rem cœlestem, vt Veteres loquuntur. Res terrena, id est, sacra symbola, verè comedūtur & hauriuntur corporaliter: sed cœlestis sola fide manducatur. Et hīc vrgo te, ostendas præter mentē Christi, & anti- quitatis plures esse species manduca- tionis, quām duplēcē: sacramenta- lem, quæ est symbolorum: & spiritua- lem, quæ est veri corporis. Inquit Au- gustinus perspicuē, manductionem sacramentalem esse visibilem: ostēn- de igitur tu, eam esse inuisibilem. In- quit Augustinus, in hoc sacramento nullum fieri miraculum: ostende tu, miraculoſe & inuisibiliter verum cor- pus cum panē adesse. Quod repetis at-

Q

gumen.

gumētum Scoti, facilis est responsio.  
 Datur nobis verum corpus eo modo,  
 quem instituit: modus autem sacra-  
 mentalis est, qui est ex præsentia effi-  
 caciæ. Et illa particula: Quod pro vo-  
 bis traditur, additur, non ut ostendat,  
 quid detur pani, sed ut mostret appli-  
 cationē meriti illius corporis, quod  
 traditum est pro salute hominū. Sunt  
 enim ista verba applicationis. Dicis,  
**Christum** nusquam has phrases inter-  
 pretatū esse: erras. Suprà citauit Chry-  
 sostomum, qui dixit, hanc phrasin A-  
 postolis fuisse familiariter notā. Quia  
 toties audiuerant conciones de man-  
 datione carnis Christi: ideo intelli-  
 gebant, hīc, tanquam in re præsenti, il-  
 lius promissionis institui σφεαγιδα. Et  
 sequens particula apertissimè decla-  
 rat priorem. Ne quidem Euangelista  
 voluerūt eandem formam verborum  
 retinere: & Paulus repetit phrasin Lu-  
 ca, tanquam magis perspicuum, qui  
 dicit: Calix est nouum testamentum  
 in sanguine, q̄ pro vobis effunditur.  
**Audis, hūc haustum esse foedus in san-**  
guine

guine Christi: perinde sicut alio loco dicitur: Circumcisionem esse foedus, quæ etiam fiebat cum effusione sanguinis. Item: Sanguinem victimæ esse sanguinem foederis &c. Et dicesne, mihi D. Eber, nos haurire corporaliter sanguinem Christi, pro nobis effusum in cruce? At qui is, Deo volente, dudum dissipatus est. Obedientiam Christi vult scriptura, ubi nominat sanguinem eius. Sic Christus dicitur positus esse propitiatorium in sanguine suo. Itē: Sanguis Christi mundat nos ab omnibus peccatis. Effusio fuit certi temporis, sed applicatio meriti illius perpetua est.

## DVODECIMA PRO- POSITIO.

**S**ecundum argumentum D. Eberi, spropugnantis σωστιαρ, est à consensu Euangelistarum, Pauli, & ab expositione Pauli. Ponderat verba: Panis est κοινωνία corporis. Dicit κοινωνία, ut reificat prædicationem identicam, & o-

Q. 2 iten.

stendat esse vniōnem sacramētalem.  
 Deinde postulat reuerentiam. Ergo  
 adest ibi verum corpus. Non disce-  
 nunt corpus Domini. Ergo nō solū  
 loquitur de symbolo. Repetimus à D.  
 Ebero arma, quāe propriè nostra sunt,  
 & quibus ipse nimis imprudenter vti-  
 tur. Consentiunt Euangelistæ in reci-  
 ratione ritus: verūm, vt tolleretur opi-  
 nio superstitiosa, non planè usurpa-  
 rūnt easdem phrases, sicut suprà dixi-  
 mus. Deinde si cui interpretatio Pau-  
 li nondum satis plana est, ille merito  
 habetur pro deplorato. Et quidē hic  
 non possum dissimulare meum dolo-  
 rem: & fateor, quasi in saxum me con-  
 uersum esse: vbi vidi D. Eberū, virum  
 tantæ doctrinæ & autoritatis, patro-  
 cinari Heshusiano cōmento, de com-  
 municatione panis & corporis Domi-  
 ni. In Epistola ad Corinthios ita enar-  
 rantur hæc verba: Panis est illa exte-  
 na res, qua efficimur socij corporis  
 Christi: sicut dicitur: Euangeliū est  
 potentia Dei, id est, instrumentū quo  
 Deus est efficax. Huius verissimè expo-  
 sitio.

sitionis oblitus D. Eberus, docet κοινωνίαν referendam ad panem, vel ad vniōnem sacramētalem, quam fingūt esse copulationem non durabilē dura-  
rum substantiarū. Sed te alloquimur  
fili Dei, & profitemur, quod secundū articulum fidei, verè statuimus, esse  
κοινωνίαν credentium tecum, atq; etiā simul piorum inter se: & letamur to-  
to pectore, q; nos vis facere κοινώνια, hoc est, socios tui corporis: & eam so-  
cietatem obsignare illa externa sum-  
ptione consecrati panis: te autem cō-  
trahere societatem cum pane, substā-  
tiali aliquavniōne; neque Heshusius,  
neq; Eberus nobis persuaserit. Argu-  
menta reliqua puerilia sunt. Postulat  
Paulus reuerentiam, quæ profici-  
tur ex vera fide, intuente beneficia p-  
missionis, quæ hoc ritu obsignantur;  
non verò stabilit ἀπόλατρειαν aut ullū  
cultum panis. Non discernūt corpus  
Domini. Ibi manifestum est cum lo-  
quide pane, cui tribuitur appellatio  
corporis locutione sacramentali. Ait  
enim profanos non discernere hunc

cibum sacrūm à cibo physico, & ita  
propter cōtemptum eos fieri reos ve-  
ri corporis. Sicut ille, qui contemnit  
sigillum Cæsarī, Cæsarem cōtempſit.

### XIII. PRO- POSITIO.

**T**ertiō loco præ se fert secundum sicut  
vniuersam Antiquitatē, et si nul-  
la citat testimonia, sed in genere per-  
petuam mentem veterum proponit.  
Loquuntur, inquit, cum singulari re-  
uerentia de hoc sacramento: & sym-  
bola plerumque nominant, non ap-  
pellatione panis & vīni, sed corporis  
& sanguinis Domini: prædicant hoc  
sacrosanctum mysteriū, quod datur  
nobis comedenda caro Domini, & Christus in nobis vult esse, ut Cyrillus  
inquit, etiam participatione natura-  
li: petunt inde argumenta cōtra Ari-  
nos devnione duarum naturarum in  
Christo. Hostes Ecclesiæ ex occasione  
huius Cœnæ accusarunt Christianos  
apud Imperatores, quod voraret car-  
nem

nem humanam. Hæc doctrina mansit  
usque ad Carolum Magnum, sub quo  
coepit dogma de transsubstantiatio-  
ne, ea euersa est scriptis Lutheri, con-  
fessione Augustana & Apologia. A-  
ues deceptas esse sæpenumero colori  
bus & pictura, restatur historia: nos ta-  
mē floridos hos colores amoliemur,  
vt veras lineas, & veram συμμετρίαν a-  
gnoscamus. Sentētia vetustatis adeò  
clara est, vt etiam illi, qui oderunt ve-  
ritatem, aliquos ex veteribus fateātur  
planè fuisse Zwingianos; & perpetu-  
um consensum suprà paucis indicaui-  
mus. Extat etiam apertissima testimo-  
niā, collecta multorum studio. Quæ  
autem D. Eberus extulit, ea parum si-  
bi congruunt. Celebrant omnes vete-  
res mirandam societatem Christi &  
piorum: vnionem realem corporis  
Christi cum pane nusquam prædicat.  
Quid enim ea prodeisset homini? Sym-  
bola nominant corpus & sanguinem  
Domini phrasī sacramētali, cuius duę  
sunt causa.

I. Ut extet discrimen inter usum

Q 4 phy-

physicum, & usum mysticum.

II. Ut sciamus ex analogia signi ad signatum, verè cum re visibili darino his beneficium inuisibile secundum promissionem. Hanc esse omnino me tem Veterū, suprà tribus rationibus ostendimus. Et si D. Eberus aliter eos accipit, sciat se patrocinari pontificis, non sibi. Ita enim loquuntur veteres: Corpus Domini cadit in terram, gestatur in canistro. Et si vis audire veram definitionem corporis sacramentalis, audi hæc verba Augustini: Corpus Domini appellamus, quod ex fructibus terre sumptum, & prece mystica consecratum, sumimus in memoriam Dominicæ passionis. Ecce tibi, Veteres panem benedictionis appellare corpus Domini. Christum esse in nobis participatione naturali, verissimum est: sed ea quæstio iam respicit inhabitationem in homine, quare de ea paulò post dicetur. Rationes petræ à simili, & à calumnia hostium Ecclesiæ de conuiuio Catilinæ, si demonstrat, oportet ut largide demonstret.

Nega.

Negabant Ariani essentiam diuinam esse communicabilem, neque conce-  
debant in Christo esse duas naturas: ostendunt econtrà Orthodoxi, Chri-  
stum cum hominibus inire societatem, in illis habitare: & præcipue citant  
*κοινωνίαν*, quæ in hac sacra Cœna con-  
trahitur & ob-signatur: eam autem fie-  
ri non posse, nisi diuina natura copu-  
lata vniione personali humanæ natu-  
ræ Christi, & suam massam, & nos ipsi  
insertos gestaret & vivificaret. Ita ex  
ordine iustificationis, Veteres & diui-  
nitatem Christi, & presentiam eius in  
suis membris demonstrat. Non enim  
dubium est, eos respicere ad actiones  
proprias Deo, quæ efficiuntur in pijs,  
nō autem ad vniōnem corporis Chri-  
sti cum pane. Neque enim ita despū-  
it pia Vetustas, ut corpus Christi pani  
alligaret, perinde sicut in Christo duæ  
naturæ copulatae sunt. Simile etiā ro-  
bur est alterius argumenti de calūnia  
hostium Ecclesiæ. Julianus & parasiti  
ipsius vociferabantur, Euangeliū abo-  
lere totum ordinem politicum, & in-

Q s uehe.

uehere barbariem, in qua nullus sit ordo. An propterea dicemus hanc esse mentem concionū Christi, prohibetis vindictam inordinatam, & laudantis patientiam, vel iræ iniustæ moderationē? Ita etsi parasiti aulici, ut Christianos in odium adduceret, interpretabantur eos vesci carne humana, & haurire sanguinem humanū in signū coniurationis, & ad confirmanda seditiosa consilia contra Magistratum, quod audirent post conciones & precēs publicas, eos sacramentum corporis & sanguinis Domini distribueret, affirmabimus veteres docuisse verum corpus Christi dentibus fidelium ateri? Profectò ludere talib⁹ præstigijs, & insidiari simplicitati imperitorum, est indulgere suis speculationibus & cupiditatibus, quod tamen in alijs acerbè reprehenditur.

**X L I I I . P R O-**  
**SIGŪ P O S I T I O .**

**Q**uarto loco, domestico quodam encomio prædicat sententiæ suæ boni.

bonitatē: ait eām esse simplicissimā,  
 nullis inuolutam ambiguitatibus, fa-  
 cile intelligibilem, & mentem piam  
 in simplici intellectu vocabulorū faci-  
 limē acqescere: aduersarios verò sub-  
 inde titubare, dubitare, modò in hoc,  
 modò in aliud abripi diuerticulū: &  
 in tentatione dubitanti conscientiæ  
 nō posse satisfieri, cùm discedat à sim-  
 plici sensu verborum Christi. Hęc qui  
 dem in suo theatro dici possunt plau-  
 sibiliter apud eos, qui heque in se, ne-  
 que in alios multūm inquirūt, sed sub  
 specie reuerentia in fæcibus idolola-  
 triæ detineri sese patiuntur. Nos verò  
 rogamus omnes, ut paulò diligentius  
 suum examinent auditorium, & ob-  
 seruent, qualis inter ipsos sit consen-  
 sus, quām bella etiam suarum opinio-  
 num harmonia. A nostris partibus, vi-  
 bi illos exclusimus, qui negant Spiri-  
 tum sanctum esse efficacem per Sacra  
 mēta, verissimum est reliquos omnes  
 sententijs cōgruere, dissidere verò so-  
 lūm phrasi vel vocabulis. Omnes hoc  
 volunt, in vero vsu filiū Dei hac sum-  
 ptione

ptione testificari credenti de benefi-  
 cijs suis, & vniōne piorū cum suo cor-  
 pore. Interea nihil refert, et si alij dicāt  
 in propositione: Panis est corpus, esse  
 metaphoram, alij metonymiam, alij  
 synecdochēn. Si quando etiā cōue-  
 nirent eruditī, possent aliquā phrasē  
 ambigua, aut horridiores explicari,  
 mitigari, & certa forma loquendī con-  
 stitui. Nam certum est, Ecclesias istas,  
 in fundamento inter se maximē esse  
 concordes. Sed quāso, intuere econ-  
 trā cōsensum tui gregis. Non loquor  
 de Pontificijs, qui inde à Petro Lom-  
 bardo usque, potius formis loquēdi,  
 quām re ipsa dissenserūt. Sed vos, qui  
 videri vultis hostes Missæ pontificiz.  
 ita bellè congruitis, ut aliis transsub-  
 stantiationem, tanquam tēterimam  
 idololatriā, execretur, alius dicat cam  
 esse adiaphoron. Deinde omnes pon-  
 tis consubstantiationem, hoc est, rela-  
 tionem substantialem corporis Chri-  
 sti in ysu præsentis cum pane, & tamē  
 quidam inueniuntur, qui apertè ne-  
 gant, se cam tolerare posse: aliqui, vt  
 illud

illud suum commentū prodigiosum  
 tueantur, nō verentur, vt de alio quo-  
 dam dictum est, ferme abnegare totā  
 Trinitatem, renouāt furores Eutychē-  
 tis & Serueti, detrahūt Christo veram  
 nāturām hūmanam: aliis fingit sibi  
 Vbiquitatem: aliis Omnipræsentia:  
 aliis Communicationem idiomatū  
 physicam: & nunc quidam, quē multi  
 διόρθωποι στορσώνται, apertè defendere hāc  
 propositionem, planè Eutychianam,  
 ausus est: In hūmanam naturam Chri-  
 sti transfusam esse omnem plenitudi-  
 nem diuinitatis: & alteram hāc dete-  
 riorem, quæ planè est Seruética &  
 Schyvenckfeldiana: Hūmanam natu-  
 ram Christi corporaliter transfundi  
 in sanctos: aliis contrā dicit, hāc om-  
 niā esse impia. Ita aliis dicit: Adora-  
 tionem ad panem esse adiaphoron, a-  
 lius necessariam, & proponit formu-  
 las iuuocationis, alius idololatricam.  
 Et tamen interea omnes plebi persua-  
 dēt, retinere sese ἐγκέρα. Non delector  
 tali commemoratione, ideo cùm plu-  
 ã alia possem afferre, eam abrumpo.  
 Sed

Sed hortor tamen oculatos, ut círculi  
spiciant & inquirant in suos socios,  
nec aliqua blandiloquentia se de-  
ci-  
pi patiātur. Quàm verò pij in profel-  
sione huius sententiæ titubent, osten-  
dunt exempla tot martyrū, qui in cō-  
fessione huius & aliorum articulorū  
horrenda supplicia cōstantissimè per-  
tulerunt.

## X V. PROPO- SITIO.

**Q**VINTÒ, oratione penè atrocí ac-  
cusat nostros, quòd autores sint  
duorum maximorum malorum. Pri-  
mum, extenuari ab ipsis dignitatē hu-  
iis sacramenti: eripi inde anxie men-  
ti suam necessariam consolationē: &  
contrà stabiliri in plurimorū animis  
profanitatem & contemptum huius  
sanctæ Cœnæ, vt quidem doceri pos-  
sit exemplo aduersariorum. Nam ibi  
ferme cōtemptim celebrari cœnam.  
Inquit D. Eberus, filius Dei, vt medere-  
tur humanæ infirmitati, instituit, vt  
quære-

quæreretur in ministerio, in verbo &  
 sacramentis, nō immediatè in cœlo:  
 Venite ad me omnes, scilicet, ad me  
 præsentem in verbo & sacramentis.  
 Quia tua fides languida nō potest pe-  
 netrare in cœlum, vbi sedet & regnat  
 filius Dei. Secundò dicit ex ista opa-  
 nione adimi nobis dulcissimam con-  
 solationem de corporali cōmunicati-  
 one & inhabitacione Christi in pijs,  
 contra testimonia scripturæ, & doctri-  
 nam Veterum. Huic nimis seueræ cen-  
 suræ primùm hoc Demosthenicū re-  
 spōdemus: Si tales sumus, quales nos  
 describit D. Eberus, verbum nullum  
 præterea facturi sumus, sed fatemur  
 nos iustè damnari ab omnibus Eccle-  
 sijs. Verūm profectò euidenter piæ Ec-  
 clesiæ harum gentium, quæ accusan-  
 tur, ostendere possunt suam innocen-  
 tiā. Execramur deliria Scokyvenck-  
 seldij, econtrà fideliter retinemus cō-  
 functionem τῷ λόγῳ cum verbo voca-  
 li & ministerio: fatemur etiam sacra-  
 menta esse sigilla iustitiae fidei, & per  
 ea Spiritum sanctum verè esse effica-  
 cem

cem in cordibus piorum, secundum  
 prōmissionem Euāgelij. Quòd etiam  
 nunc à multis proponitur tale axio-  
 ma, Christum sese suo verbo & sacra-  
 mentis alligasse, ibi eum quæri opor-  
 tere, nō verò secreta cœlorum huma-  
 na curiositate penetranda: Illis respō-  
 demus, Ex veritate & cōsentientibus  
 testimonijs diuinæ vocis recte statui:  
 ministerium esse ordinem à Deo insi-  
 tutum, per quem fit denunciatio pro-  
 missionis Euangelij, & eiusdem appli-  
 catio, vel obsignatio per externos ri-  
 tuis sacramētorum in credentibus: &  
 verè Deūm hoc modo efficacem esse  
 in his qui non repugnant Spiritui san-  
 tho: & hac ratione accendi fidem &  
 alias virtutēs in homine. Sed interea  
 firmiter statuimus, Deum aut Spiritū  
 sanctum, nulla præsentia physica, vel  
 magica externe voci, aut ritibus sacra-  
 mentorū esse alligatū: sed eam præsen-  
 tiā quæ est ministerij, tantū efficaciam  
 præsentiam esse, quòd videlicet hoc mo-  
 do intus in corde credentiū vult esse  
 efficax, & ea ipsis donare, de quibus  
 con-

cōcionatur promissio: atque eodem modo illis externis ritibus adesse, nō præsentia tantum vniuersali vel generali, non etiam physica aliqua copulatione, sed ex pacto liberrimè ad efficaciam vel ad applicationem & ob signationem illorum beneficiorū, de quibus isti ritus præcipue testantur. Mersione & ablutione in Baptismo datur testimonium, credentem verè ablui sanguine Christi, auferri sordes veteris naturæ, & eum deinceps transferri ex regno Diaboli in regnum filij Dei. Tota enim actio hominem respicit: sicut solius hominis causa instituta est. Interea aqua, vel illa mersio in aquani, ex relatione, hoc est, ex quadam ordinatione ad rem sacram, nominatur Baptismus & lauacrum regenerationis. Ita panis & calix benedictionis, dant testimonium, beneficium redemptionis ad singulos credētes pertinere, ipsis sanguine vel obedientia Christi impetratam esse remissionem peccatorum: & ipsos insertos esse corpori Christi, ut ab ipso in hac vita, &

R      dein-

deinceps in omni æternitate accipiāt  
 vitam & lātitiam conformem Deo.  
 Symbola verò ex relatione corpus &  
 sanguis Domini nuncupantur: quia  
 destinata sunt, ut in vñsu credēti de cor-  
 pore & sanguine Domini dent testi-  
 monium. In hoc intellectu fateimur  
 Christum esse alligatū ad ministeriū  
 & sacramēta. Si quis autem, exemplo  
 primorū parentum, neglecta promis-  
 sione, quæ homini facta est, signis pe-  
 culiare aliquam vim viuificandi ex  
 opere operato vult tribuere: aut ca-  
 exemplo multitudinis Ethnicę, in nu-  
 men transformare: is sciat, se & à no-  
 bis, & à veritate cœlesti dissentire. Et  
 periculose dicitur, hominem fide de-  
 bere hærere in istis externis spectacu-  
 lis, cùm dictum sit: Non in hoc loco,  
 neque in Ierosolymis, &c. Item: Quæ  
 rite ea quæ sursum sunt, ubi est Chris-  
 tus, &c. Ita cùm vetus Ecclesia ante di-  
 stributionem consecrati panis & cali-  
 cis, clara voce iusserit auditores sur-  
 sum corda attollere, hoc est, ab illis vi-  
 sibilibus spectaculis, quæ sunt medela-
 hu.

humanae infirmitatis, & de beneficio  
 inuisibili cogitare: vide qualē tu ha-  
 biturus sis excusationem, qui corda  
 piorum dcorsum retrahis, & in illis re-  
 bus externis vis acquiescere. Quod au-  
 tem queritur D. Eberus, Ecclesiastis, que  
 discesserūt à Deo Maozim, confirma-  
 re profanitatē in hominibus, & apud  
 illos contemptū haberi cœnam, o-  
 ptaremus ut paulò ciuiliū tractaret  
 pios illos cœtus. Laudamus omnes  
 frequentem vſum Cœnæ: ita tamē ut  
 absit opinio meriti, aut vtilitatis ex  
 opere operato, quæ profectō in pluri-  
 morum animis nimis altè hæret. Po-  
 stulamus etiam reverentiam, & Chri-  
 stianam modestiam in percusſione, ut  
 ita dicam, illius mirādi fœderis, quod  
 tunc cum filio Dei cōtrahitur: cui in-  
 serimus sicut surculi, truncō. Detesta-  
 marverò omnes opiniones & gestus,  
 significantes cultū panis. Et cùm ido-  
 latria Dei Maozim nimis creuerit,  
 certū est, grauiora delicta esse eorum,  
 qui quocunque modo panem vene-  
 tantur, quam aliorū, qui nolunt imi-  
 tari

tari ceremonias idololatricas Pontificium  
ciorum: ne videantur approbatores  
horribilis profanationis. Scimus ex  
Heluetijs etiam quosdam requirere,  
ut corpus & sanguis Christi ad ægro-  
tos deferatur: neminem vero ex illis  
hoc danare, sed tanquam adiaphoron  
permittere. Et quidem, ut supra dixi-  
mus, si ex doctis, qui sunt modestio-  
res & amantes concordia, conueniret  
ad placidam collocutionem, multa pos-  
sent in meliore redigi ordinem. Quan-  
tum vero ista audacia damnandi Ec-  
clesias tot gentium, easque ornatas pie-  
tate, donis Spiritus sancti, & præcipue  
illustri constantia confessionis profi-  
cierunt, ostendet evidentius. Tandem, ne  
quid desit criminationi, additur: Nos  
negare communicationem Christi cum  
electis. Hic, si indulgere vellem meo  
dolori, iustissime conqueri possem de  
segnitie nostra, quod haec tenus ne qui-  
dem inuestigauerimus satis attentè  
dulcissimam illam societatem, quam nobis  
est cum Christo, qualis ea sit, & quam in-  
de peti debeat consolatio. Intercea-  
vere.

rō delabimur ad confusiones tetras,  
 vt quoquo modo fucū illinamus no-  
 stræ Cœnæ. Rectè dixit pia Vetustas,  
 duplē nobis cum Christo esse soci-  
 tatem, spiritualem & corporalem: sed  
 nō intellexit per societatē corporalē  
 cōfusiones Serueticas, & Schyvenck-  
 feldianas, quāsi corporaliter nobis in  
 fundatur, & nobiscū cōmisceatur sub  
 stantia corporis Christi. Absint hi fu-  
 rores à pijs mentibus. In Christo habi-  
 tat diuinitas σωματικῆ, in alijs omni-  
 b° effectiū. Et efficiunt ita socij cor-  
 poris Christi, vt tamen semper manc.  
 at distiñctio inter creatorem & crea-  
 turam: & inter causam & effectū. Ideo  
 missus est filius Dei, & ideo nostrā na-  
 turam assumpsit, vt nos reconciliaret  
 Deo, & impetraret nobis renouatio-  
 nem primæ societatis, quam Deus in  
 creatione nobiscum pepigit, quando  
 hominē ad imaginem suā formauit.  
 Nullus igitur aditus est ad Patrem, ni-  
 si per Christū mediatorē, cū quo pri-  
 mam inire oportet societatem, vt per  
 eum, & in eo, Deo efficiamur confor-

mes. Hæc autem fiunt in vera conuen-  
 sione, vbi primùm in veris doloribus  
 & paucoribus erigimur fide per Spiri-  
 tum sanctum testificantem, nos acci-  
 pere remissionē peccatorum propter  
 hanc victimam, & propter eam noso-  
 ripi ex doloribus mortis, & recipi ad  
 vitam æternam: cum qua imputatio-  
 ne, vel reatus dimissione simul coiun-  
 cta est inchoatio nouæ vitæ: ita, ut per  
 Spiritū sanctum, tanquā per interme-  
 dium vinculum, fide inseramus Chri-  
 sto mediatori, ut isto salutari flatu &  
 agitatione in nobis accendatur & au-  
 geatur fides acquiescens in Deo pro-  
 pter Christum, clamans Abba pater,  
 & similis vita, similis lux, similis lati-  
 tia, qualē in propria sua humana massa  
 Αγγελοperpetuò accedit & excitat:  
 quæ quidem vita conformis est Deo,  
 cùm à Filio, qui est substancialis ima-  
 go Patris, in nos, qui efficiuntur membra  
 sui corporis, deriuuntur: perinde, sicut  
 ex fonte vitæ beneficio spirituū, eadē  
 vita in omnia membra corporis pro-  
 pagatur & distribuitur. In has diuinæ  
 actio-

actiones cōuerisionis & renouationis  
 sanctorum, cūm intuerētur Veteres,  
 dixerunt : Nos coniunctos esse cum  
 Christo societate spirituali & corpo-  
 rali. Spirituali quidem, cum ipso & to-  
 ta diuinitate, quia in nobis restitu-  
 tur imago Dei. Corporali, quia ea re-  
 nouatio hoc fit ordine, vt fiat ad simi-  
 litudinē massæ humanæ Christi. Sicut  
 enim λόγος suam naturam humanā  
 gestat, viuiscitat, & inenarrabili gloria  
 perfundit: ita pios, fide per Spiritum  
 sanctū suæ naturæ insertos, suæ massæ  
 efficit conformes, & hoc modo pater-  
 nam lucem, vt Irenaeus dixit, in ipsos  
 propagat. Hæc igitur est illa societas  
 corporalis, quam prædicant Veteres,  
 & obiurgant Eutychianos, qui sparge-  
 bant, nullam post passionem futuram  
 fuisse vtilitatem carnis Christi: ideo  
 eam euanuisse, aut in diuinam natu-  
 ram absorptā: his respondent Cyril-  
 lus & alij: Imò retinere Christum can-  
 dem suam carnem, & credentibus si-  
 militudinem illius suæ naturæ impri-  
 mere: ita tamen, vt sciamus, in hæc vi-

ta fieri inchoationem, consummatio  
 nem in futura: & semper in memori-  
 aus, habitare quidem Christū in pīs,  
 sed neq; corpora aliqua cōmixtione,  
 neque cū omnium dōnorū transfu-  
 sione. De hac societate extant mani-  
 festa dicta scripturæ: Transformamur  
 in eandem imaginem: Erimus similes  
 ipsi: Caro mēa verē est cibus, id est, nu-  
 trimentum spirituale, quo nutrit̄ &  
 nutritum efficiuntur similia. Ego sum  
 vitis, vos palmitēs. Nēmo carnem suā  
 odio habuit, sed eam nutrit̄ & seruat,  
 sic Dominus Ecclesiam, &c. Ita de so-  
 cietate spirituali, quæ nobis est cū  
 Christo & tota diuinitate, dicitur: Ve-  
 niemus ad eum, & mansioñē apud eū  
 faciemus. Effundā de Spiritu meo su-  
 per omnē carnem. Christus redigit o-  
 mnia qđ vnū caput, &c. Et qui norunt  
 hanc duplē relationē, quod Filius  
 aliās consideratur vt persona iūtēs,  
 aliās vt persona missa, vel vt media-  
 tor, illis hæc duplex societas satis illu-  
 stris est. Gestamur enim & viuifica-  
 mur à mediatore, vt ita rursus agglu-  
 tine.

tinemur toti diuinitati, vnde eramus  
per peccatum auulsi. Ex hoc fonte pe-  
tebat dulcissimam suam consolatio-  
nē, vir ille verè sanctus, Philippus, sic-  
ut ostendunt & hi, & alij versus:

*In seruisq; tuo xogio dulcissimè Siloh,  
Eternæ vitæ gaudia vera dato.*

## XVI. PROPO- SITIO.

**D**E argumentis D. Eberi, quātūm  
opus fuit, ferme disseruim⁹. Sed  
quia ipse subinde confessionē & apo-  
logiam Augustanam, autoritatē Lu-  
theri & Philippi nobis obijcit, ideo &  
de his respondebimus. Fātemur nos  
esse ciues Ecclesiarū, quæ amplectun-  
tur confessionē Augustanam, tanquā  
symbolū horum temporū: non etiā  
rejicimus phrases confessionis in hoc  
articulo, sed illis attribuimus intelle-  
ctum talem, qui non pugnat cum fun-  
damento, & congruit cum expositio-  
ne ipsius autoris. Si autem Eberus si-  
ne vlla mitigatione ad suam senten-

R 5 t iam

tiam verba confessionis & Apologiz  
 vult trahi, meminerit in Apologia pri  
 ori, manifestè doceri transsubstantia  
 tionem: quare autē eam etiam coge  
 tur amplecti: aut fateatur necesse est,  
 non semper ex rigore verborum op  
 primendam esse lucem veritatis, qua  
 saepe posteriori tempore explicatur de  
 xterius. Lutherū veneramus, tanquam  
 repurgatorem cœlestis veritatis, & in  
 primis illustratorem discriminis in  
 ter Legem & Euangeliū inuictum.  
 Neque existimamus in doctrina fun  
 damenti eum professum esse, aut de  
 fendisse ullum errorē. Quod autem  
 in hac causa retinuit quādā feces ex  
 illuui Pontificia, easque feruentiore  
 cum impetu defendit, tribuimus hoc  
 cōmuni hominum imbecillitati. No  
 que ideo deformamus Lutherū, aut  
 eius doctrinam abijcimus: sed etiam  
 ipsius phrases in hac causa, quantum  
 possumus, mitigamus. Sicut & de Au  
 gustino, & plerisque alijs doctoribus  
 fieri necesse est. De beato autē nostro  
 Philippo mirati sumus frontem Ebe  
 ri: nec

Ni: nec quidē omittere possum, quia  
 cum ipso amicam quandam instituā  
 altercationem. Scripsisti D. Ebere in  
 publicis scriptis, Philippum in eadem  
 fuisse tecum sentētia: hīc, quēsō te, an  
 concedes cuidam, qui si non re, saltē  
 nomine fatuus est, Philippū aliam' pu-  
 blicē, aliam priuatim circūtulisse sen-  
 tentiā? Et quārō ex te, qua fiducia co-  
 neris persuadere, etiā in scriptis, quā  
 ipse edidit, tuam sanctissimū hunc vi-  
 rum amplexū esse sententiam? Ostens-  
 de, si vincere tibi dulce est, vbi nām lo-  
 corum, annis vigintiquatuor & pluri-  
 bus ante mortē, Philippus accusaue-  
 rit Ecclesiās Helueticas, & Gallicas p-  
 pter negatā præsentiam ycri corporis  
 cum pane? Atqui si, vt toties pugnas,  
 ea controuersia ad fundamentū perti-  
 net, hoc facere cum oportuit. Dices,  
 subscripsit formulæ concordiæ, & ar-  
 ticulis Schmalcaldicis. Respondeo:  
 Formula concordiæ recitat phrases,  
 quāe vbi in intellectu sacramētali, sic-  
 ut eas accipit Bucerus, & ipse autor  
 Philippus, intelliguntur, commodā  
 sunt.

sunt. Cum Lutherò autem cur nolle  
 præliari de hac causa, habuit graues ra-  
 tiones sui consilij. Quia cùm abusus  
 Pontificios, & multa inquinamenta  
 ex illis nata, Lutherò quasi nescienti  
 extorsisset ex manibus hac regula: Sa-  
 cramenta sunt talia in vsu, noluit pro-  
 pter alios næuos & stipulas turbare  
 pacem harum Ecclesiarum. Imò quid  
 tergiuersaris optimè D. Ebere? An ne-  
 gabis etiam in publicis scriptis satis  
 protulisse suam sentētiam Philippū?  
 An ille, qui ponit has propositiones:  
 Sacramenta sunt sacramenta in vñ:  
**C**hristus adest propter hominem, nō  
 propter panem: Christus in hac cœna  
 adest ut in ministerio. Propositio:  
**C**hristus habitat in sanctis, intelligen-  
 da est per cōmunicationem idioma-  
 tum: eaq; tantū est Dialectica præ-  
 dicatio, non physica impressio. Item:  
**C**orpus Christi physica locatione est  
 in cœlo: non est vbique: an is, inquā,  
 non dixit omnia? Notissimum est, Sa-  
 cramenta esse sigilla iustitiæ fidei, vel  
 signa confirmingantia fidem: quare con-  
 stat,

Stat, non posse ea obsignare fidē in eo,  
 qui est sine fide: atque ita in sacra cœ-  
 na vnica est manducatio veri corpo-  
 ris, quæ sit fide, non ore corporali. Si  
 etiā adest huic sacramento Christus,  
 vt in ministerio; præsentia verò mini-  
 sterij solùm est præsentia ad efficaciā,  
 quòd videlicet isto ordine Deus vult  
 esse efficax in homine: manifestū est,  
 non tolerari posse illam substantialē  
 copulationē veri corporis cum pane.  
 Nam hæc præsentia longè diuersa est  
 à præsentia ministerij. Si adest ppter  
 hominē, non propter panē, qua alia  
 præsentia potest adeste, nisi præsentia  
 efficaciæ, vel inhabitationis? Nam cō-  
 mixtio corporalis Seruetica, manife-  
 stè explosa est hac ppositione: Quòd  
 Christus habitat in sanctis per cōmu-  
 nicationē idiomatū, non physicā, sed  
 Dialecticam. Si etiā natura humana  
 Christi non est ubique, quomodo hic  
 autor asseueraret eam tamē corporaliter  
 præsentē esse cum pane? Hinc  
 credo cuilibet, quærenti simplicē ve-  
 ritatem, innotescere perpetuā senten-  
 tiam

riam Philippi. Quòd verò dicere solet, Christū verè & substantialiter adesse Cœnæ, facilimum est intellectu. Opponitur enim hæc locutio profanæ imaginationi, quæ fingit hanc sacram actionem esse tantum reparationē Christi longè absentis à suis. Spectati drama aliquod tragicum de gloria & rebus gestis Agamemnonis, nihil prodest ea cognitio & inspectio. Non enim Agamemnon in eum potest transfundere suam gloriā & opes: verùm, est inane spectaculum, comparatum ad delectationē, aut si potior queritur finis, ad imitationē qualis cunque meliorū. Nam homo modestus inde petere potest exempla virtutum & vitiorū, & ita in externa disciplina sese erudire. Verùm hīc longè grauiores proponuntur res. In hac enim sacra actione ipse filius Dei hoc pignore testatur, verè tibi remissa esse peccata, te verè ablutū suo sanguine, te effici membrum sui corporis, & te ornandū esse simili gloria, qualis fulget in ipso corpore Christi. Hoc igitur

tur est Christum verè & substātialiter  
 adesse, testificantē de suis beneficijs,  
 foris in externa promissione, & illo ri-  
 tu: intus in corde per Spiritum sanctū  
 mutantem te ad æternam & nouā vi-  
 tam. Præterea deduco te, optimè mi-  
 D. Ebere, ad testimonia tuæ conscienc-  
 iæ, familiariter te noster Præceptor  
 complexus est, quæso te, quoties audi-  
 uisti ipsius sermones & gemitus, gra-  
 uissimè deplorantis profanationem  
 cœnæ, non solum inter aduersarios,  
 sed etiā inter vestros? Meministi quid  
 in hac parte desiderauerit in Luthe-  
 ro. Denique vidisti Epistolam, quam  
 pro ipsius agnouisti & defendisti, vbi  
 manifestè dicitur, etiam in vsu, panē  
 non esse verum corpus Christi, vbi se  
 segregat à Bremensibus, ab Heshusio,  
 à Morlino, qui profectò omnes tecū  
 faciunt. Quare igitur ista tua Rheto-  
 rica insidiaris rudioribus, & illis per-  
 suadere conaris, in tua sententia fuis-  
 se optimum illum senem? Sed et si de  
 hac parte possem dicere plura, tamen  
 nunc finem faciam.

# XVII. PRO. POSITIO.

**S**ecundum caput suæ expositionis, proponit D. Eberus de duplice mādicatione. Ibi primum prolixè fatetur, de spirituali manducazione congruere intersese omnium sententias: preliatur tamen acriter sextum caput Ioannis non esse accommodandum ad causam cœnæ. Nullā enim ibi fieri mentionē ritus sacramentalis, verūm solūm spiritualis mādicationis, quæ fit in omni conuersione. Hic defidero in D. Ebero aut prudentiā, aut candorem. Etiam ex Veteribus, quicunquæ concionem sexti capituli retulerūt ad sacram Cœnam, ut quidem Augustinus, Chrysostomus, & alij, expressè docent, in vltima cœna tunc addi ritum ob signantem beneficium huius promissionis de manducazione suæ carnis, non verò proponi nouū fideiarri culum. Et fatetur necesse est D. Eberus, hanc manducactionem esse caput huius actionis: ceremoniam verò tan-

tum extetnum pignus esse, cōmonefa  
ciens de hoc beneficio interiori. Er-  
go hoc, quod maximi momenti est,  
vniuersum consistit in cōcione sexti  
capitis. Postea, vbi manducaționē sa-  
cramentalem vel corporalem consti-  
tuit, ne videatur ludere cothurnis, sa-  
tis crassē sc̄ic explicat. Neque enim il-  
lud Mum Mum sonat, sed apertè in-  
quit, ex manu sacerdotis, ore accipi  
verum corpus Christi. Collige, quæso  
te, optime D. Ebere, & vide quām pro-  
cul & à veritatē, & ab autoritate tui  
sancti præceptoris discesseris. Ex con-  
sentienti testimonio Vetustatis Græ-  
cæ & Latinæ, in Eucharistia sunt duæ  
res, terræna & cœlestis, vel, sacramētū  
& res sacramenti. Oro autē te, an ti-  
bi hac ratione non erūnt tres: panis,  
verum corpus, & spiritualis manduca-  
tio? Si autē res eo modo se habet, cur  
nō relinquis Antiquitatem, &, quod  
tui socij faciunt, triplicem constituīs  
manducaționem? Præterea rursus mihi  
accommoda tuas cogitationes ad  
veritatem rei. Quæro ex te, verū illud

S corpus

corpus in Eucharistia quidnam est  
 Non quidem res coelestis: nam ea est  
 ipsa spiritualis manducatio, vel ipsa  
 vno Christi cum electis. Et tu non di-  
 ces, nobis infundi esse entia corpus  
 Christi. Nam semper adhuc credo,<sup>re</sup>  
 abhorrere ab illa confusione substan-  
 tiarum, quā etiam formidauit Osian-  
 der: excogitauit autē eam primus Ser-  
 uetus, & imitatus est Schwænckfeldi-  
 us. Sed dices, esse rem terrenam, pro-  
 pterea quia est corporalis manduca-  
 tio. At qui nullus ex Veteribus nomi-  
 nauit corpus Christi rem terrenā, vel  
 sacramentum: panem & vinum nomi-  
 nant rem terrenā, vel corporis & san-  
 guinis Domini sacramentum: ipsum  
 corpus verò rem cœlestem, & rem sa-  
 cramenti appellant. Dicis tu insuper,  
 hanc corporalem manducationē es-  
 se quidem veram, sed fieri modo inui-  
 sibili. Hic quis te docuit, verū corpus  
 Christi esse inuisibile? Deinde, si hæc  
 tua sententia vera est, necesse est fal-  
 sum esse Augustinum, qui manifeste  
 dicit, sacramentalem manducationē  
 esse

esse visibilem: & In cœna nullum fieri  
miraculū. Præterea rogamus te, osten-  
de vbi locorum sacræ literæ, aut con-  
ciones Veterum, docent duplē esse  
manducationem veri corporis Chri-  
sti? Hæc si cogitaueris, inuenies quādo-  
bellè tua cum veritate cōgruant. Re-  
petis, hanc corporalem manducatio-  
nem prodesse ad fidei cōfirmationē.  
Optime D. Ebere, quām incautè hoc  
dicitur? Ea, quæ foris à Christo insti-  
tuta sunt ad fidei confirmationē, visi-  
bilia sunt, sicut externi ritus sacramē-  
torum. Quomodo verò manducatio  
corporalis, quæ sola fide comprehen-  
ditur, & ipsa confirmatione eget, con-  
firmabit aliud beneficium inuisibile?  
Manifestum est igitur quām pericu-  
loſe oratio D. Eberi ægrotet.

## X V I I . P R O - P O S I T I O .

**H**is peractis loquitur de dignis &  
indignis, & urget primūm hoc:  
Reus est corporis: Ergo præsentis. Nā,

de absente esset impossibile. Hic op-  
pono tibi. Si aliam huius reatus cau-  
sam potuisti inuenire, quam tuus Pre-  
ceptor, qui dicit; eum esse propter co-  
temptum, vel contumeliam Christi:  
ostede nobis, quomodo corpus Chri-  
sti possit violari. Sed fatearis oportet,  
reatum hunc esse relationem, videli-  
cet contemptū. An verò ad contem-  
ptū requiritur corporalis præsentia?  
Senatus Romanus Romæ in Curia se-  
dens violatus esse dicitur, ubi Corin-  
thi legati Senatus violati sunt. An igit  
tur contemnens sigillum corporis &  
sanguinis Christi, nō contēnit ipsum  
verum corpus & sanguinem Domini?  
Tandem planè noua, & quidem mira-  
biliter monstrosa producitur Chim-  
ra, de triplici genere hominū percipi-  
entium sacramentū. Diuidit enim su-  
mentes in infirmos, in indignos, & in  
impios. Ad infirmos quidem dicit nō  
pertinere Paulinam cōminationem,  
sed propter illos præcipue esse insti-  
tam Cœnam. Indignos nominat Hy-  
pocritas, qui sunt sine pœnitētia, et  
sunt

sunt in cœtu Ecclesiæ, & cum Ecclesia  
in externa professione doctrinæ con-  
iuncti: tales manducare quidem cor-  
porali modo verū corpus Christi, sed  
ad iudicium. Hoc iudicium verò in-  
telligendum de pœnis corporalibus:  
sicut dicitur: Cum iudicamur à Do-  
mino, corripimur, &c. Impios vocat  
illos qui sunt alieni à doctrina & cœ-  
tu Ecclesiæ: tales inquit non mandu-  
care corpus Christi, quia illis nihil est  
institutum. Hactenus quidem fateor,  
ad meas aures famam nullam de tali  
distributione hominum peruenisse:  
nec, ut credo, proprij socij ipsi assenti-  
entur, sed haud dubiè & de hac parte,  
& de alijs multis ciuile inter se bellū  
mouebüt, quod finietur victoria Cad-  
mæa. Ego quidē primum scire velim,  
cum indigni percipiāt corpus Domi-  
ni, impij non item, quæ causa sit tan-  
tæ diuersitatis inter ipsos. Vtriq; sunt  
sine pœnitentia, & sine fide, quomo-  
do igitur non damnabuntur æquali  
iudicio, cùm dictum sit: Qui non cre-  
dit, iam iudicatus est: videlicet, desti-

natus ad pœnas æterni iudicij? Poteritne externa professio hypocritica a liquid afferre mitigationis? Atqui Deum, qui est καρδιογνωστής, nemo faliit, & illi, qui in nomine ipsius abutuntur, grauius puniuntur: sicut ostendunt cōminationes de Capernaitis. Item: In illo die dicent, Domine, Domine, nōnne in nomine tuo, &c. Et ridiculū est D. Eberum, Iudam annumerare indignis, non impijs, & statuere ipsum etiam manducasse corpus Domini, cùm de Iuda ita horribilis prouincia sit vox, qualis de nullo alio impio homine extat in tota scriptura. Ita enim dicitur: Intrauit in eum Satanās. Item Paulus expressè dicit, eos reos esse corporis & sanguinis Domini, hoc est, inquit Philippus, contumelias afficiunt corpus & sanguinem Domini, sicut latrones crucifigentes Domnum, eum contumelia afficiebant. Ante tales non essent rei æternæ damnationis? Quare mihi D. Ebere, insiste tuo fundamento, & dicas, corpus Domini non manducari ab illis, qui sunt sine fide,

aut

aut in quibus est propositum perseue-  
 randi in peccato, cum quo nec fides,  
 nec Spiritus sanctus potest stare: quia  
 talibus omnibus nihil est institutū, &  
 siue sint in externa societate Ecclesie,  
 siue extra eam, tamen coram Deo &  
 quali ratione sunt rei & destinati ad  
 aternas pœnas, nisi conuertantur. Nā  
 seruus qui scit voluntatem Domini,  
 nec eam facit, grauius ferietur. Hoc ta-  
 men constat, etiam sanctorum negli-  
 gentiam & omissionem puniri pœnis  
 corporalibus, ut hoc modo in illis ex-  
 citetur inuocatio & fides. Sed tales  
 non propterea sunt indigni, nec tales  
 sunt reiveri corporis & sanguinis Do-  
 mini, sed sunt contaminati peccatis  
 venialibus: propter quæ tamen hæc  
 natura mergitur in calamitates, & de-  
 talibus pœnis vagantibus in multos,  
 loquitur Paulus dicens: Cùm iudica-  
 mur à Domino, corripimur, &c. & mo-  
 net in genere, has calamitates esse cō-  
 monefactiones de ira Dei aduersus  
 peccata, & de pœnitētia. Ingenuè au-  
 tem facit D. Eberus, quod iterum fate-

tur, sese explicare non posse, quomo<sup>d</sup>o illi, qui sunt sine fidc, accipiāt cor-  
pus Domini, quod tamen in illis non  
sit efficax, recte, inquam, facit, vbi fate-  
tur se vinc i veritate. Reuerā enim ar-  
gumentūm hoc est insolubile, quod  
deducendum est hoc pacto. Adeſt  
Christus ſuo miſiſterio & sacramen-  
tis, non p̄ſentia generali vel vniuer-  
ſali, ſed p̄ſentia ſanctificationis, in-  
habitationis vel efficacie. Quare ſi in-  
dignis adeſt tantum ad damnationē  
vel iudiciū, ſciendum eſt eum adeſſe  
p̄ſentia generali, non aliqua ſingu-  
lari aut noua ſpecie p̄ſentia. Neq;  
enim dantur plures gradus quam iſti.  
P̄ſentia ſalutaris, quæ eſt ad inhabi-  
tationem & efficaciam, adimitur il-  
lis; Ergo ſolum relinquitur p̄ſentia  
vniuersalis, qua iudicat & deſtruit im-  
pios. Exemplum de contactu ſui cor-  
poris in hac vita, huc nihil quadrat.  
Nam contactum & coſuetudinem  
Christi viſibilē fatetur ipſe nobis eſſe  
creptam. Quare tantum dupli-  
mo nobis p̄ſens eſt.

# XIX. PRO OPO- SITIO.

IN epilogovt obseruet præcepta O-  
 ratorum, valde pathetica & mirè pi-  
 ña cōcione rursus hortatur nostros,  
 vt abijciant rationes philosophicas,  
 nec acumen ingeniorum anteferant  
 voci diuinæ: libentiū etiam sequan-  
 tur in hac causa Lutherum, quam Ca-  
 rolostadium: & hanciam concordię  
 ipse proponit: cam tamē si quis acci-  
 pere nolit, hunc orat, ne sua placita  
 spargat in populū, sed interea sibi fas-  
 piat. Postremò, omnibus & qualibus-  
 cunque rationibus, quæ contra se im-  
 aciem producētur, ait se oppositurū  
 vñicū clypeū, οὐτοῦ θύρα. Atque iste  
 est finish huius Dramatis, fermè similis  
 illi clausulæ Tragicorum, τὸν μεν ἡγο-  
 νισθεῖσαν, οὐδὲν ταῦτα, οὐδὲν διά-  
 varria. Non immorabor in excusatio-  
 ne nostratum Ecclesiarum, sed dedu-  
 co pias mentes ad ea, quæ toties repe-  
 titā sunt. Profitemur, & iusto cum do-  
 loro querimur, iniuste prostitui nos.

S 5 deri-

deridēdos multitudini, & in illo thes-  
 tro plausibili à concionatoribus nos-  
 falsō traduci, quasi philosophica prin-  
 cipia, & rationes inde extructas ante-  
 feramus cœlesti voci. Præliamur de  
 gloria filij Dei, & de veritate articulo-  
 rū fidei. Neo pati possumus, vt nostri  
 cenfores, periculo exēplo, stabiliāt  
 in sermone diuinō contradictionē: &  
 D̄eo volūtates cōtradic̄tiorias, aut cō-  
 filiū decipiēdi miseros homines, tri-  
 buāt. Et ne callidē agere videar, Cram-  
 ben priorem repetō. Sine v̄la dubita-  
 tione statuimus, Dcūm nobiscū locu-  
 tum esse, ita vt intelligi posset: v̄sum  
 esse nostris vocabulis, illisq; perspicu-  
 is, & in doctrina fundamēti nulla vo-  
 luissē ludere ambiguitate. Iam cū ne-  
 gati nō possit, verē & realiter sibi con-  
 tradicere articulū de veritate huma-  
 næ naturæ in Christo, & de ascensione  
**Christi in cœlum:** & deinde altera ex  
 parte, hanc propositionem, Panis est  
 corpus Christi: necesse est alterā pro-  
 positionē intelligi cum tropo. Nostri  
 aduersarij cūm hoc agnoscāt, pleriq;  
 trans-

transformāt vniuersum articulū in al  
 legoriā. Ascensionē interpretātur de  
 cōspectu visibili Christi nobis erēptō:  
 cōlū p̄ se de Dei, q̄ sit ubiq; Alij negāt  
 se labefactare articulū fidei de ascensio  
 ne in cōlū, de physiā vel corporalilō  
 cōtiōe humānē naturē in cōlō: sed dō  
 cēt excipiēdā esse ex articulis fidei hāc  
 miraculosā p̄sentiā in cōēna: cū tamē  
 hi nō modō fateātur, cōtradictiones  
 in doctrina fundamēti cōcedi, verum  
 etiā sibi ipsi turpiter aduersentur. Vbi  
 enim sese euoluūt, prorsus sine ullo te  
 stimonio diuinę vocis attībuūt Chri  
 sto corp̄ inuisibile, nō tāgibile, sine lo  
 co, sine dimēsionib. & tamē interea cō  
 cedūt hāc, & similes regulas: Negās p̄ si  
 prictates, negat naturā. Hāc tāta & rā  
 tetra absurdā, cū stabiliātur hāc cōmē  
 titia expositione cōtra p̄spicua dicta  
 articulorū fidei, grauiiss. habēnūscāu  
 fās, cur refragari nos oporteat. Verè igi  
 tur statuim⁹ articulos fidei à filio Dei,  
 & ab Apostolis expositos esse sermo  
 ne p̄prio, intelligibili, & p̄stis sine vlla  
 ambiguitate: & ideo illos intelligim⁹  
 prorsus

prorsus ut sonat litera, hoc quidem  
 modo: Ascendit, id est, filius Dei spe-  
 cante magno cōetu suorum discipu-  
 lorum, ex hoc mundo inferiori iubla-  
 tus est, nubes suscepit eum, & tradu-  
 citus est in cōclum, hoc est, in locū ca-  
 lestem, vbiq; is sanè est: ibi sedet,  
 id est, corporali locatione spaciū a-  
 liquod occupauit finitum, secūdum  
 veri corporis modum. Sed sedet ad  
 dexteram Dei, id est, exaltatus est  
 in illa arcana luce Dei super omnes  
 Angelos & homines, regnans aequali  
 potētiā cū Patre. Si quis quærat, vtrū  
 dexterā Dei interpretemur de aliquo  
 certo spatio vel loco, an verò cōcedā  
 hanc esse vbiq; Huic respondeo: De-  
 xtera visitata phrasī scripturæ signifi-  
 cat potentiam vel regnum. Sicut autē  
 regnum Dei duplex est, in hac vita, &  
 in vita beata: ita etiam dextera dupli-  
 cimodo accipienda est: In hac quidē  
 vita tota diuinitas tegnat, primū mo-  
 do quodam generali, sustentans om-  
 nes res cōditas suo ordine, fernans or-  
 dinem in genere humano, custodiens  
 bonos,

bonos, puniens & destruens impios,  
 plerunque ex ordine causarum secun-  
 darum: interdum tamen singulari ra-  
 tione extra & præter causarum secun-  
 darum motum. Hoc quidem regnum,  
 ut dixi, vniuersale est. Est deinde aliud  
 regnum, quod est particulare, perti-  
 nens ad Ecclesiam vel electos, & pro-  
 priè est Christi in hac vita, qui vnà cù  
 Patre & Spiritu sancto per ministerium  
 & sacramenta pijs monstrat Patrem,  
 & voluntatem Patris, transfundit in  
 illos salutares motus Spiritus sancti;  
 & eos efficit sibi cōformes, tanquam  
 membra capiti. Aliud regnum est in  
 vita beata, ybi Deus angelos & beatos  
 homines, viuentes in consuetudine  
 æternae Dei, implet singulari modo sa-  
 pientia, vita & lætitia diuina, cum cō-  
 spectu immediato de facie ad faciem,  
 sine ministerij vsu, sine peccato & si-  
 ne morte. Huic quidem regno glorio-  
 so, præcipue tribuitur appellatio de-  
 xteræ Dei. Quia ibi singulari, & verè di-  
 uino modo diuinitas est efficax. Quā-  
 do igitur articulus fidei mentionem  
 - nos  
 facit

facit dexteræ Dei, dico hoc accipien-  
 dum esse de regno in vniuersum qui-  
 dem, sed præcipue quidem de regno  
 cœlesti, in quo filius Dei de facie infa-  
 ciem corporaliter conspicitur: ut hoc  
 modo constituatur discrimin inter  
 electos, qui etiam sursum sunt in vita  
 æterna, & inter Christū, qui est exalta-  
 tus super omnes angelos & homines  
 in lucem propriam Deo, ad regnum  
 nunquam desitum: interea tamen  
**corpus** ipsius verè alicubi est locali-  
 ter. Ita dicitur: Quærите ea, q̄ sursum  
 sunt, vbi est Christus ad dexterā Dei,  
 &c. Propositiones autem de regno, &  
 præsentia ipsius in hac vita, intelligen-  
 dæ sunt per communicationem Idio-  
 matum, ut testatur tota Antiquitas.  
 Postea dicitur in symbolo: Inde, id  
 est, ex illo loco cœlesti, eum redditur,  
 futurum ut conspiatur in nubibus,  
 ut resuscitato toto genere humano  
 se palam ostendat, hostibus suis ad  
 æternas pœnas, pijs ad vitam æternā  
 & beatā. His igitur propositionibus,  
 munitis autoritate diuinæ vocis, &  
 consen-

consentienti, imò feruenti testimoniō Antiquitatis, nullos patimur afferri tropos, vel allegorias, sed statuimus eas veras esse immota veritate. Quòd verò his opponitur vnicā propositio Cœnæ, non dicimus sermonē diuinum sibi contradicere, & hunc causum esse excipiendum ex articulis fideli. Nimis enim graue crimen hoc est in veritatem & gloriam Christi. Neq; etiam, quod plurimi faciunt, articulum fidei cuertimus, vt commentitia nostra expositio alterius propositio-  
nis in loco suo retineatur. Sed quod in doctrina fundamenti vbiique fieri necesse est, dicimus propositionē cœnæ, quæ articulo fidei videtur in specie aduersari, necessariò figuratè accipiendo esse. Huius nostræ sententiæ habemus rationes, non philosophicas, vt isti toties garriunt, sed gravissimas & verè diuinias.

- I. Propositio cœnæ vnicā est, articulus autem fidei perspicuis verbis sāpē repetitus & declaratus est.
- II. Magnū discrimen est inter mini-  
sterium

sterium vel ministerij partes, & inter articulos fidei. Articuli fidei concipiuntur de beneficijs æternis, quorum magnitudinem in hac vita nulla sapientia vel eloquentia potest enarrare. Ministerium verò institutū est tantum propter infirmitatem huius vitæ, ut hoc modo diuina illa bona nobis denuo cidentur vel applicentur, & fides nostra, nimis languidè ea intuentes, confirmietur. Quomodo igitur potior ratio habenda est ordinis, qui proprius est huius vitæ, & seruit articulis fidei, quam ipsorum articulorum?

**II.** De natura humana Christi nulla propositio scripturæ figuratè locuta est, quod ea sit inuisibilis, non tangibilis, sine loco, infinita, &c. Sed in propositionibus sacramentalibus perpetua consuetudo est diuinæ vocis, quæ ita loquitur de omnibus sacramentis, videlicet, quod tribuit significationem vel nomen rei signata, ut quidem suprà monuimus.

**III.** Nitimur expositione Christi,

qui paulò pōst dixit: Hic calix est nō  
num Testamentum in sanguine, qui  
effunditur: Pauli, qui dicit, panem es-  
se *κονοφίαν* corporis, & *κονοφίαν* refert  
ad hominem, nō ad panem: & omnium  
Apostolorum, qui propositionem, Pa-  
nis est verum corpus, non retulerunt  
inter articulos fidei, quod tamen sei-  
cundum istos fieri oportuit: & totius  
Antiquitatis, quae panem nominat si-  
guram & signum corporis. Item, quae  
dicit, panis significat, representat, de-  
notat corpus Christi. Hæc nostra in-  
terpretatio igitur, quæ fidei analoga  
est, in nullum articulum fidei impin-  
git: certissima testimonia habet vo-  
cis diuinæ, & Veteris testamenti: non etiā sta-  
bilit profanationes idololatricas, &  
Pontificios abusus huius sacramenti:  
& pijs mentibus veram & dulcissimā  
monstrat consolationem, de inhabi-  
tatione & societate Christi cum suis:  
pculdubio rectius defenditur, quam  
altera recens, cōmentitia, & quæ cum  
tantis periculis & malis cōiuncta est.  
Quare venerande, clarissime, & opti-

T me

me D. Ebere, tute potius te colligas,  
 & non solum à veritate, verum etiam  
 à te ipso ne recedas. Nouimus tuam  
 eruditionem, pietatem, & quæ nunc  
 in Theologis rarissima est, Christia-  
 nam modestiam & humilitatem. Re-  
 uoca igitur tibi in memoriā, quid de  
 hac controuersia ante paucos annos  
 statueris, tum cum adhuc audires vo-  
 ces sanctissimi viri Philippi: qui ma-  
 luit tandem odia Principū, & promi-  
 scuæ multitudinis in se se deriuare, &  
 Ecclesiasharū gentium, quas tu nunc  
 damnas, accusare; qui priuatim sæpi-  
 simè, publicè etiam nō obscurè osten-  
 dit hanc esse immotam veritatē cœle-  
 stis vocis, quæ premi non possit. Sed  
 cū sciamus te plura in hoc genere au-  
 diuisse, vidisse, & meminisse, quam q.  
 quam nostrūm, desinimus. Vidi in  
 etiam tuam confessionem de hoc ar-  
 ticulo scriptam, viuē te adhuc Philip-  
 po. Quę igitur causa te mouet, ut tan-  
 topere tui velis esse dissimilis? οπωρ  
 Χεσόρ τινι στολω εχε φυσις. Metuis forsi-  
 tan odia, & in caput tuum redditura pe-  
 ricu-

ricalia. Age institue collationem. Nō  
 erunt tibi amici Heshusius, nō Vvest-  
 phalus, non Morlinus, non ille poly-  
 pragmon maledicus Cyriacus, non  
 denique ipsa Furiarum soboles Flaci-  
 us, & tota Flacianorum cohors *νορκό-*  
*πωμάγια*. At tecum stabit veritas fi-  
 lij Dei, & inuenies in hoc cœtu ho-  
 mines doctiores, modestiores, ma-  
 gis pios, minus maledicos, minus  
 que seditiosos. Nec te terreant Au-  
 læ, aura illa instabilis est, & tandem  
 tua & similium ope, multi sapien-  
 tes politici ad inquisitionem & amo-  
 rem veritatis flectentur. Si verò o-  
 mnino à tua sententia non discedis,  
 saltem nobiscum paciscere inducas,  
 nec cupias nos oppressos. Fateris te  
 improbare τὸ πανταχοῦ: dicas te re-  
 linquere Christo veram naturam hu-  
 manam, in cœna verò fingis tibi cor-  
 pus, cuius nullas potes ostendere pro-  
 prietas corporis, imò cuius nullum  
 potes monstrare vsum. Quæso, quid  
 hoc est certaminis? Quiescant sancè il-  
 læ stipulae. Cùm commune nobis sit

fundamētum, te modō rogamus, ac  
 quiescas in consilio optimi nostri se-  
 nis, à quo profectò nec piè nec hone-  
 stè potes deficere: & cogita quo ore  
 & fronte intueberis beatam illam ani-  
 mam etiam in altera vita, cùm tibi sis  
**conscius**, quām dissimile consilium  
 in eadem causa edideris. Dicis te non  
**confirmare** crudelitatem Gallicā aur  
 Hispānicā. Profectò cùm tu censem  
 eos, qui nēgant veri corporis præsen-  
 tiā cùm panē, circumferre errorem  
 in fundamento, contra verbum Dei,  
 indulgerē suis speculationibus philo-  
 sophicis, confirmare profanitatem &  
**contemptū** religionis: ánon ho-  
 stes veritatis ea occasione crudelius  
 sœuiunt in pios, quos nō solūm à pon-  
 tificijs, verūm etiam ab ipsis Luthera-  
 niis damnari vidēt? Et agnoscis voces  
 tūorum sociorum, qui dixerunt, Ma-  
 gistratum iustè in tales animaduerte-  
 re: eosq; ethnicis & Iūdæis esēc dete-  
 riores. Et nōnne te virū pium mouet  
 hoc fulmē tui Præceptoris, qui dicit,  
 multos stabilire idola & parricidia.  
Negare

Negare non potes, in multis locis po-  
 pulū in hac causa detineri in opinio-  
 nibus idololatricis, in cultu panis, in  
 opinione meriti, operis operati & si-  
 milibus. Et profectò adorationem, &  
 multa alia mala, posita tua præsentia,  
 quilibet in sua conscientia annexit,  
 & excusat. Sed cùm memineris tuum  
 Præceptorem paulò ante mortem di-  
 xisse, singulari Spiritus sancti consilio  
 proximè ante concionem Paulinam  
 de Cœna, positam esse scueram hanc  
 prohibitionem; Fugite idola, ut com-  
 moneretur totam Ecclesiā, ne hunc  
 ritum transformet in idololatricum  
 numen, cur tu non abijcis illas fe-  
 ces Pontificias, & retines hoc quod  
 est sincerū? Profectò tuum ἀντὶ τοῦ  
 hac in parte te non teget. Non enim  
 satis est, quis dixerit, sed animaduer-  
 tere te oportet quid dictum sit. Tuos  
 Pythagoræos, cùm suum ἀντὶ τοῦ  
 tempestiuē usurparēt, & verba sui Ma-  
 gistri malè acciperent, omnes simul  
 interēptos fuisse narrat historia. Qua-  
 re æquum est te esse cautiorem. Quis

nostrum filio Dei suam autoritatem,  
veritatem & omnipotentiam adime-  
ret? Sed nos tamen mentem & ve-  
rum intellectum suorum verborum  
discere oportet. Quare optimè mi-  
D. Ebere, si nunc quidem commo-  
diorem viam nullam inuenis, innite-  
re consilio nostri optimi Präcepto-  
ris, vnam faciamus utramque Troiam  
anīmis. Non dicas, vt impurus ille &  
tribunitius Heshusius: Panis est ve-  
rum corpus, vel vt Bremenses: Est el-  
fentiale corpus. Morlini Mum Mum  
sui exhaustant compotores. Dica-  
mus nos cum Paulo, Panem esse κοι-  
νωνίαν corporis Christi, hoc est, exter-  
nam vel visibilem rem, qua in vero v-  
su efficiuntur socij Christi, & omnium  
beneficiorum eius. Loquamur de  
fructu huius dulcissimæ κοινωνίæ. Re-  
liquæ quæstiones referuentur ad pri-  
am Synodum, si qua ea futura est. In-  
terea simus fratres, simus vnum in  
Deo, & præliemur contra commu-  
nes hostes, qui non desinunt impu-  
gnare gloriam filij Dei, & persequi-  
misse.

miseram Ecclesiam. Faciat ipse sum-  
mus noster Pontifex, ut vulnera no-  
stra salubri glutinatione coalescant,  
remotis omnibus vomicis & fodi-  
bus, quæ fanationem hanc impedi-  
unt, ut & in hac vita, & in altera, con-  
sentienti mente & voce, impleti sa-  
lutari flatu propagato ex nostro ca-  
pite filio Dei, viuamus in eo, læte-  
mur, & ipsum cum Patre, & Spi-  
ritu sancto in omni æter-  
nitate celebre.

mus.

**A M E N.****Th 4 IVDI.**

# IVDICIVM DE COE NA DOMINI, PASTORIS

Ecclesiae Wittenbergensis D. Pauli Eberi  
Electoris Saxoniae Augusto, die 28. Decemb.

Anni 61. oblatum Dresden in Mis-  
nia, prope Albin.



**D**e cœna Domini; propter  
quam primò in crimen vo-  
camur, profitemur certa  
credere nos & docere iu-  
xta articulorū nostrorum confessio-  
nem, quod in hoc ritu sumpto pane  
& vino, non perdente suam substan-  
tiam, sumatur verum & substantiale  
corpus, & verus sanguis Domini no-  
stri Iesu Christi, & quidem illud viuu  
& viuificū corpus, & ille sanguis, cui  
assumpto de nostra carne & sanguine  
foedere inseparabili, quod nomina-  
tur vnio personalis, vnitus est  $\lambda\circ\gamma\circ$   
æternus, vniogenitus filius Dei, sicut in  
verbis Euangeli communificatio illa  
corporis & sanguinis Domini veri, nō  
imaginarij, aut significati, instituta

est.

est, & non dubitamus adesse præsentem in sumptione illa filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum, verè & substantialiter, & ipsum Christū in prima cœna, quæ ritum hunc instituit, verū corpus suum, quod pro nobis tradidit, & verum sanguinem suū, quem in remissionem peccatorū nostrorum effudit, cum pane & vino nobis exhibere: & testari, se applicare credentibus sua beneficia, & communicatione sui corporis & sanguinis, membra nos sua efficere, & velle in nobis efficacem esse, ut qui propter nos naturam humanam assumpsisset, ut hāc sibi insertā seruaret, viuificaret, & sanguine suo mundaret & ablueret.

Hanc confessionem nostram non nunc primū sonamus, sed inde usq; ab instaurata Euāgelij doctrina in Ecclesijs nostris sonantem didicimus, & Deo iuuante constāter retinebimus. Nec existimamus istos, quantumuis iniustos & acerbos censores, hanc verē & sine calumnia reprehēdere posse. Nunchoc scimus in calumniam &

T . 5      crimen

crimen nos vocari, quod non assen-  
 tiamur affirmantibus panem & vi-  
 num in coena hac esse esse cor-  
 pus & sanguinem Christi, & accipi  
 haec & manducari corporaliter, ore  
 & carnaliter, & cetera. Item non  
 probamus clamores eorum, qui vi-  
 corporis & sanguinis essentialis in pa-  
 ne & vino, praesentiam defendant, si-  
 gunt, in filio Dei Domino nostro Ie-  
 su Christo, assumptę humanę naturę  
 ex foedore illo admirabilissimo, contra  
 veri corporis rationē, accessisse illam  
 soli naturę omnipoteti cōpetentę p-  
 rictatem, ut corpus & sanguis sit v-  
 bique. Haec & nonnulla alia his con-  
 nixa, quod non pari tumultu cū ipsis  
 asseueramus & propugnamus, solē ve-  
 re causae sunt, propter quas in hac cau-  
 sa accusamur. Fatemur omnino ab-  
 horrere nos à prodigiosa illa vbiqui-  
 tate corporis Christi, quæ nec necessa-  
 ria est ad retinendā, aut ppugnandā  
 veri corporis & sanguinis Christi <sup>coris</sup>  
 iurias & participationem, nec con-  
 gruit testimonij ullis affirmantibus  
 assum-

assumptum esse à filio Dei corpus ho-  
 minis verum, & id tale mansisse, eti-  
 am postquam resurrexit, & glorio-  
 se ad cœlos ascendit. Non enim illi-  
 us fœderis in assumptione ea ratio  
 est, vt in diuinam naturam, filio Dei  
 propria hominis natura conuersa vel  
 commixta sit, vel contra diuinæ na-  
 turæ propria in humanam. Vnio est  
 admirabilissima duarum naturarum  
 in personam vñā, inseparabiliter ma-  
 nentibus utriusque naturæ proprieta-  
 tibus. Itaque etsi necesse est esse hūc  
 Iesum Christum ubique: tamen pro-  
 digiosa oratio est, de natura huma-  
 na scorsim considerata dicere, cor-  
 pus esse ubique. Nec ubiquitas illa  
 cōmentitia, veritatem verborum cœ-  
 næ defendere ullo modo potest: sed  
 & tollere & cuertere eam nequit, eti-  
 am si nō fingatur. Alius enim est veri-  
 or & certior defensionis nerius, Chri-  
 sti Domini nostri veracis & omnipo-  
 tētis institutio, & asseueratio, qua af-  
 firmat, cū pane & vino corp⁹ & sanguī  
 nē suū se nobis exhibere adeò certò,

ut propter hanc euidentiam & certitudinem participationis ipsum panem, visibile suum corpus, vinum, sanguinem suum appellauerit, nō quod fiat abolitio & annihilation substatio panis & vini (sicut Papistæ cōtra Pauli clarissima verba, & contra vniuersitatem Antiquitatis summā impiè finixerūt) sed ut eò firmius credamus, nos sumpto pane & vino verissimè participes fieri, Veri & substantialis corporis & sanguinis sui, eoq; confirmati preciosissimo pignore sine vlla dubitatione singuli statuimus pro nobis illud diuinum corpus (rectè enim sic nominatur, præter illam de qua diximus, ἐν οὐρανού) datum esse, pro nobis preciosum illum & immaculatum sanguinem effusum esse in remissionem peccatorum nostrorum. Qualis autem sit exhibitionis & præsentia modus, cum sit reuera imperuestigabilis, inquirere & peruestigare nolumus, sed affirmanti, & verè exhibenti, veraci & omnipotenti Domino reuerēter credimus. Hæc cum profiteamur & doceamus,

Ceamus, miramur illos litigiosos per  
 vim extorquere nobis velle ἀκυρολογί-  
 ας illas insulsas, & mysterio huic fa-  
 cros sancto minimè conuenientes for-  
 mas. Panis est essential corpus, sumi-  
 turque ore corporali, corporaliter &  
 carnaliter, præsertim si sine omni in-  
 terpretatione illa simpliciter, ut ver-  
 ba sonant, accipi volūt. Iam si corpus  
 verū & substantiale exhiberi nobis af-  
 firmamus: cur φάντασμα aut imagina-  
 rium corpus illi intelligunt? Ac ne in-  
 telligamus, congruit ut dicamus, pa-  
 nem essentialiter esse corpus Christi,  
 accipi id carnaliter & corporaliter.  
 An igitur cibus est ventris aut corpo-  
 ris? An coqui & degeri cœnæ huius  
 escam putant, perinde, ut reliqui cor-  
 poris cibi coquuntur & digeruntur?  
 Hæc si non statuunt, ut libenter nobis  
 de ipsis persuademus, etiam desinant  
 & μερισμα illa à nobis & alijs flagitare:  
 sumitur carnaliter & corporaliter, q  
 sciunt crassè intelligi, non solum ab  
 eruditis ijs qui causam hanc primùm  
 disputare cœperunt; sed etiam à ma-

xima multitudine, quæ cū longa tem-  
poris consuetudine sub Papatu & Mo-  
nachis ad hanc carnalem opinionem  
assuefacta sit, hoc cēu fascino quodā  
capta nunc tenetur, vt abijcere eam  
nequeat.

Scimus totum mysterium & insi-  
tutum esse admirabilissimum, in quo  
etsi sumptio est visibilis & corporalis  
rerum, quas volūit Christus ad exhibi-  
tionē corporis & sanguinis sui desti-  
nare: tamen os & dentes corpus Chri-  
sti non accipiunt corporaliter, vt isti  
loquuntur, nec comminuant. Homi-  
ni exhibetur, non corpori aut ventri.  
Ab homine igitur verè sumi statui-  
mus, quod verba sonant. Ac vt fides,  
teste Epistola ad Hebræos, ἡ πόσασις est  
seu expectatio rerum sperandarū, &  
Ἐλεγχός, id est, certum argumentum  
non apparētium: Ita hæc in illa sum-  
ptione & exhibitione præluceat, vt  
innixa verbis veracis & certò promit-  
tentis, velut ὁ γάρ οὐ sit, excipiēs res in-  
uisibiliter quidem, verissimè tamen  
exhibitæ. Noua est illa in Ecclesia &

Vetus.

Vetus & ignota Monachorum con-  
 uersio & transsubstantatio panis &  
 vini in corpus & sanguinem Domini,  
 & huic vicina à scholasticis similiter  
 excogitata, ad panem & vinum asso-  
 ciatio seu alligatio essentialis, & quasi  
 localis & carnalis corporis & sanguini-  
 tris Christi, quam Vestphalus & Fla-  
 cius defendunt. Ac miramur, cur dispu-  
 tetur tantopere à talibus, quid pani  
 adsit: cùm magis necesse sit, & proposit  
 scire, quid in homine sit, & fiat, cœnā  
 hanc manducante, quidq; huic exhi-  
 beatur. Adest enim filius Dei in hac  
 cœna non propter panē, sed propter  
 hominem. Huius & beneficiorū ipsi-  
 us, qua ratione in sumptione tali qsq;  
 fiat particeps, potissimum ac primò  
 inquirendum ac elaborandum fuerat.  
 Nec ignorant illi disputationes quan-  
 tam in multis regnis fæuitiam & crū-  
 delitatem in innocentes & pios plu-  
 rimos his certaminibus arment & a-  
 cuant. Horum saltem misereri debe-  
 bant, etiamsi nobis parcere non vel-  
 lent, & velut syncretismo inter nos fa-  
H. D. M.  
 ctio,

ato, & collatis in cōmune viribus op-  
 pugnare Idolum horribile possemus,  
 quod stans in loco sancto, & subnixū  
 hac sola corporali & carnali opinio-  
 ne, desolationem tristissimā facit.  
 Nam quod prædixit Daniel 12. Colēt  
 Deum Maozim argento & auro, eo si-  
 gnificari Missam Pontificiam nō am-  
 bigimus. Nam et si regulā allegabunt,  
 Nihil habet rationē sacramenti extra  
 vsum institutum, eaquē oblationem  
 adorationem, & circumgestationem  
 panis refutare conabuntur: Tamen  
 quamdiu assuerationem hanc reti-  
 nent, quod hic panis sit esse  
 pūs Christi vincentis & regnantis, ex  
 pedita Monachis responsio est ex ver-  
 bis institutionis, vt affirmant adora-  
 tionem talem præceptum esse, qualē  
 illi aliquot sēculis retinuerūt, precan-  
 tes vt per Filium, quem æterno Patri  
 in hoc ritu sistunt, exaudiat eos, & be-  
 nefaciat inuocātibus. Cūm enim Dō-  
 minus iubeat cœnam hanc in Eccle-  
 sia celebrari in memoriam sui, dicent  
 Monachi, qualis sumptio, aut in sum-  
 ptione

ptione recordatio esse possit sine fide  
 & inuocatione, & velut compellatio-  
 ne corporaliter & palpabiliter preſen-  
 tis, ac ſemetipſum in manibus ſacrifi-  
 ci post recitationem verborum ſiſten-  
 tis? Et vetus ſupplicium ritus fuit, pe-  
 tere per dꝫ propter eorum filios mani-  
 bus geſtatos, quorum opem implora-  
 bant. Eſtq; apud Gentes hic moſ pe-  
 tendi, monſtrato præſenti filio, habi-  
 tus ſanctiſſimus, & ad impetranda  
 opem efficaſſimus, & quidem cū  
 præſentem Christum habeant. Mona-  
 chi in transſubſtantiatione illa ſuę  
 Miſſæ expeditiore compendio yrunt-  
 tur, quām hi, qui verbis quidem illam  
 transſubſtantiationem reiſciūt ut ve-  
 rē falsam: tamen panem eſſe eſſentia-  
 le corpus Christi aſſeueraunt. Mona-  
 chi ſcribunt, omni potentiā Christi  
 viuentis & regnantis talē eſſe, ut quo-  
 ties opus eſt, & uſus poſtulat, & ſacri-  
 ficus verba Cœnæ ſuper pane & vino  
 recitauit, mutare ſubſtantiam panis  
 & vini poſſit in ſui corporis & ſanguinis  
 (quæ in cœlo ſunt & manet, ut Da-

f. 302  
Burgardus
 mascotenus docet) substantiam, manen-  
 tibus tamen, ut loquuntur, panis & vi-  
 ni accidētibus. Nec illis est opus tam  
 mirifico & operoso cōmento de Vbi-  
 quitate naturæ humanae in Christo,  
 quam hi nostri censores tanto con-  
 tu & acumine asserunt. Monachi ve-  
 rò ipsi nō obscurè repudiant, sed sunt  
 utrobique adeò prodigiosa omnia, vt  
 non possimus non cohorrescere cogi-  
 tando hæc intuentes: armari autē his  
 crudelitatem horribilem, historiae no-  
 stræ ætatis tristissimæ in Gallia, Hispa-  
 nia, Belgico, & alibi nimis verè testan-  
 tur. Memini à viro fide digno audire  
 hanc historiam: Cùm quidam sapiēs  
 & doctus vir (cuius studi nomen re-  
 ticemus) legatus ex Germania à Prin-  
 cipe adiuncto Augustanæ confessio-  
 ni, missus ad regem Galliarum Franci-  
 scum, fortuito interuētu, magna cum  
 animi consternatione fuisset specta-  
 tor horribilium suppliciorū, quibus  
 afficiebantur aliquot ciues Parisien-  
 ses & Scholaſtici, amplexi purā Euan-  
 gelij doctrinam, quibus in publicare  
 citatio-

citatione causarū supplicij, nulla phā  
natica dogmata audierat obijci, sed  
Iola ea omnia, quæ nostris Ecclesijs, vt  
impiæ, & à sede Rōmana damnata, ob  
ijciuntur: quòd docuissent Pontifice  
esse Antichristum: Opera nostra non  
mereri remissionem peccatorum, &  
vitam xternam: Sanctos mortuos, nō  
esse inuocandos: Purgatorium, aquā  
Iustalem, & similia, esse nugas excogi  
tatas quæstus gratia: inter quæ tamen  
& hoc fuisse eis imputatum (quo vno  
se offendit fuisse legatus dixerat) q  
sequentes veræ scripturæ testimonia,  
crederent corpus Christi esse in cœlo  
essentialiter & corporaliter: nec post  
verborum Cœnæ recitationem in pa  
ne, atque ita vbiq[ue] esse: ideoq[ue]; dam  
narent Missam Papisticam vt idolola  
tricam, & panis circumgestationem,  
& adorationem, vt impiam. Etsi autē  
tunc cum Sacramentarijs, vt nunc vo  
cantur, errate putarit, negātes præsen  
tiam corporis & sanguinis in pane &  
vino corporalem & physicam: tamen  
commiseratione calamitosorum ho

minum motum, quod in ceteris pie  
 sentientes, nimis inclemēter ob hoc  
 vnum erratum interficerentur: cūm  
 alia mitiori pœna exilij vel qualicun-  
 que plecti possent, & fretum gratia &  
 humanitate Regis aliquando capti-  
 ta occasione prefatum suppliciter di-  
 citis veniam, suasisse & rogasse humili-  
 ter, vt Rex, alias clementiæ laude emi-  
 nentissimus, hanc acerbitatem suppli-  
 ciorum, quibus inquisitores in misere-  
 ros vterentur, sua interposita autōkli-  
 tate mitigaret: saltem tamdiu, donec  
 in vniuersali Concilio controuersia  
 per Lutherum motæ, semel omnes di-  
 judicarentur, & falsa damnarētur. Ibi  
 Regem, alias mitissimum, & erga hūc  
 legatum præsertim clemēter affectū,  
 cum significatione stomachi erupisse  
 in hæc verba: Tamen & vos Luthera-  
 ni eos, qui ita de cœna Domini senti-  
 unt, vt hæreticos damnatis, & suppli-  
 cio quovis dignos iudicatis. Vobis er-  
 go, ita sentire de sacrosancta cœna;  
 heresin esse, & blasphemiam in filium  
 Dei summo supplicio dignam, à vo-  
 bis

q̄is edoctus sum. Quibus igitur Magistratus vestri nō parcerent, si quos palam disputare aut dicere contra realē & corporalem præsentiam corporis in pane benedicto resciscerēt: cur mihi & meis vitio vertitis, si eandem in regno meo publicè doceri & disputari, adhibita iusta seueritate, prohibemus? Hoc Regis acri dicto, legatus ille domū reuersus, confessus est, se planè tunc obmutuisse, nec quid Regi, alle-ganti nostrorum exemplum, respondere verisimiliter potuisse: & ab eo tempore de tota hac controuersia studio sius inquisiuisse eruditorum ac piorū virorum sententias, & totius Antiquitatis cōsensum, quo perspecto, incredibilem se postea percepisse dolorē, quotiescumque viderit aliquos ex sug-gesto declamitare ad populum de illa physica & carnali præsentia corporis in cœna, à Papistica transsubstan-tiatione non multūm discrepare, & alta voce, & conquisitis conuitiorum formis damnare eos summæ & certissimæ hærefoes, qui verū non affirma-

ret, panē consecratū esse illud ipsum  
 reale, naturale, & essentiale corpus  
 Christi, quod in cruce pependit, idq;  
 māducari corporaliter et carnaliter.  
 Ideoq; istos clamores, præterquam q  
 à veritate alieni essent, sibi auditu a  
 cerbiores esse, quòd intelligeret et cō  
 perisset re ipsa, eiusmodi incōmodè  
 dicitis, et Antiquitati ignotis, cōfirma  
 ri illam horribilem suppliciorū acer  
 bitatem, quorum recordatione penè  
 exanimaretur, quoties eorum memo  
 ria quacunque occasione in animum  
 recurreret. Sed ut ad propositum re  
 deamus, antiquissimi scriptores Apo  
 stoli, et hos secuti puriores, reuereter  
 et circumspecte valde de sacrosancta  
 Eucharistia loquuntur. Horum nos  
 formas libenter retinemus. Cùm Pau  
 lus dicit: Panem quē frangimus, com  
 municatio seu participatio est corpo  
 ris Christi, nos quoque dicimus: Sum  
 pto pane et vino, verè exhiberi et su  
 mi corpus et sanguinem Christi: ac vt  
 antea diximus, fidem accipere opor  
 tere, vt sit salutaris et viuifica partici  
 patio,

patio, seu cum Christo consociatio.  
 Nec misceamus hanc disputationem  
 de sumptione infidelium. Nam cur  
 de his quæ foris sunt, iudicemus? Re-  
 tinemus tamen quod Paulus de tali-  
 bus inquit: Qui sumpserit indignè,  
 &c. Sic de Coena Irenæus inquit, con-  
 stare eam duabus rebus, cœlesti & ter-  
 rena. Nec dubium est, quin terrenam  
 vocet panem: huic adiūgit cœlestem,  
 verum corpus Christi. Sic synodus Ni-  
 cœna inquit: Non accedamus ad panē  
 & poculum in diuina mensa proposi-  
 tum: sed in mentem attollentes, fide co-  
 gitamus, iacere in mensa agnum Dei.  
 Coniungit igitur panē & corpus Do-  
 mini Christi: huic mentem & fidem  
 aptans, tollit attentionem sensuum  
 exteriorum. Sic Hilarius inquit: Sive-  
 rè carnem corporis nostri Christus af-  
 sumpsit, & verè homo ille Christus  
 est, nosq; verè sub mysterio carnē cor-  
 poris sui sumimus: & per hoc vnu eri-  
 mus, q; Pater in eo, & ille in nobis. Et  
 deinde: De naturali enim Christi in  
 nobis veritate, quod dicimus, nisi ab

ipso dīdicerim⁹, stulte atq; ineptē dī-  
 cemus. Ipse enim Christus ait: Car-  
 nea verē est esca, & sanguis meus ve-  
 rē est potus: qui edit carnē meam, &  
 babit meum sanguinē, in me manet,  
 & ego in eo. Non enim in Christo e-  
 rit, nisi in quo fuerit ipse, id est, nisi pri-  
 us sit factus membrum Christi. Hæc o-  
 mnia testātur sensisse Hilarium, quod  
 his rebus, pane & vino, sumptis, sum-  
 tur in mysterio, verum corpus & ve-  
 rus sanguis: atque ita verē adsit Chri-  
 stus, & sit efficax. Et similes sunt sente-  
 tiæ multorum, sic enim & Cyrillus in-  
 quirat: Vnde considerandum est, nō ha-  
 bitudine solūm (id est, nostri affectus  
 similitudine, quæ per charitatem in-  
 telligitur) Christum in nobis esse, ve-  
 rum etiam participatione naturali.  
 Quibus verbis significat, verē adesse  
 Christum, atque efficacem esse. Nam  
 expressè de Sacramento loquitur Epi-  
 phanius, diligenter describens & do-  
 gmata Ecclesiæ, & deinde sacramēta,  
 inquit: Cibus quidem panis est, sed in  
 eo corpus Christi, quod viuificat. Di-  
 scertē

serit inquit, IN EO. Non dū enim or-  
bis terrarū vanitatē illius disputatio-  
nis Theologicæ in hac disputatione  
norat, qualis postea secuta est de trāf.  
substatiatione, vbiuitate, & similib⁹.  
Cyprianus inqit: Nec potest videri san-  
guis eius, quo redēpti & viuificati su-  
mus, esse in calice, quando vinū defit  
calici, quo sanguis Christi ostenditur.

Augustinus fatis clarè in pluribus  
locis, si dextrè intelligatur, panem &  
corpus Christi coniungit. Quid vide-  
tur panis, q̄ fides postulat instruenda,  
panis est corpus Christi. Et perspicuū  
est Gelasij Pontif. Rom. testimoniu, q̄  
inquit: Certè sacramenta, quæ sumi-  
mus, corpus & sanguis Christi, diuinę  
res sunt, propter q̄ & per eadem effici-  
mur cōsortes diuinæ naturæ, & tamē  
non desinit esse substantia vel natura  
panis & vini. Cum his igitur doctori-  
bus vniuersæ Ecclesiae in hac causalō-  
quimur, ac de modo præsentia & ex-  
hibitionis nō curiosè disputabo. Te-  
stamur ergo nos eos improbare, q̄ ne-  
gant adesse & sumi in Cœna verum &

substantiale corpus Christi. Abhorremus enim à profanis iudicijs, pro suo arbitrio hanc sacrosanctā cœnā refomātib⁹. Ac vt de vsu eius, q̄ est dulcissimus, recte Ecclesia erudiri possit, hāc quā recitaui sententiā, retineri in Ecclesia oportere omnino statuim⁹: nec qd de vsu statuamus & doceam⁹, plixè hoc loco ostēdemus, cūm extēt libri, quos cōfessionē nostrā esse volumus. Affirmam⁹, cœnā hāc testimoniū cōfessionis applicationis, q̄ non intelligi voluit, vt Monachi loquūtur, ex ope operato, sed cū fide accipitur: nā cū colligat Deus Ecclesiā, edita pmissione, vt tantū illi fāthāredes vitæ æternæ, q̄ pmissioni credūt. Videtur enim illi frumento testimonio visibili omnib⁹ ostēdere se pmissionē eis applicare, q̄ eā fide amplectūtur, & testificari, q̄ pmissio ad eos pertineat. Fructus igitur & vsus cœnae principalis est, hoc testimonio fidem cōfirmare, & statuere, q̄ hoc, tanq̄ pignore seu sigillo corporis & sanguinis Christi filius Dei se applicare sua beneficia possit. Simul etiā ostēdit, se velle dīinceps

incepit esse in eo, quē in hac sumptio-  
 ne mēbrū suū fecerit, hūc velle dinc-  
 ceps docere, regere, seruare, & in no-  
 uissimo die resuscitare, & in corpore  
 eius, p̄ ante a fragile, mortale, peccato  
 obnoxium fuerat, in tota æternitate, sa-  
 piētia, iustitia, lātitia, & vitæ æternita-  
 te cōplere, & suæ massæ corpus assimu-  
 lare, quā ppter ea assumpit, vt nos, q̄  
 in tota æternitate perituri fuissim⁹,  
 sibi insertos tanquā surculos seruaret  
 & viuificaret. Hæc omnia primò &  
 principaliter in hac filius Dei testa-  
 tur. Et prodest sumptio, cū fides hæc  
 intuetur. Postea accedūt alij fines, de  
 quib⁹ alibi copiosius. Est igitur hęc, vt  
 quām breuissimè partē hæc primā ex-  
 pediam, confessionis nostræ summa:  
 quæ si displicet nostris censoribus, iu-  
 dicet Synodus, vtrius partis sententia  
 magis sit fidei analoga. Nos filiū Dei  
 volumus de nostris voluntatibus esse  
 testem & iudicē, simplici studio nos  
 veritatem quærere & tueri, & hunc vt  
 in veritate nos sanctificet, toto pecto-  
 re oramus.

BREVIS

BREVIS SUMMA  
DOCTRINÆ, DICTATA  
publicè in Academia VVittebergenſi  
à Philippo Melanchthonē,  
circa Annum.

1534.

## DE COENA DOMINI.



ARIAE sunt appellatio-  
nes huius sacramenti: sed  
Paulus vocat coenam Do-  
mini: postea appellarunt  
Synaxin, propterea quod communis  
coena esset congregationis in Eccle-  
sia. Appellarunt ἡκατέρην propter si-  
nam: quia ea coena instituta est, ut ibi  
agnoscamus & accipiamus beneficia  
Christi, & agamus gratias pro donata  
remissione peccatorum, propter mor-  
tem Christi. Extiterunt autem de hac ce-  
remonia horribiles quæstiones mul-  
te, inde ortæ, quod vetus Ecclesiæ con-  
suetudo in hac ceremonia tractanda  
antiquata est.

Prima quæstio est de interpretati-  
one

one verborū: HOC EST COR-  
PVS MEVM. An sit metaphora,  
hoc est, quæritur de præsentia, an &  
quomodo corpus Christi adsit. De-  
inde sunt aliae quæstiones, vt de Missa,  
an sit quædam oblatio, quæ peculia-  
riter ad sacerdotes pertineat, an verò  
sacerdotes tantùm habeāt quoddam  
ministeriū porrigendi sibi & alijs. An  
opus sacerdotis differat ab opere lai-  
ci: ita vt sit sacrificium, quod necesse  
sit in Ecclesia existere. An sacrificium  
illud necesse sit applicari pro alijs ad  
remissionem peccatorum. An illa ap-  
plicatio valeat ex opere operato, vt  
vocant: an valeat pro viuis & mortuis  
ad remissionem peccatorum. Hę sunt  
quæstiones præcipuae, de quibus iudi-  
ciū facile esset, si non esset abolita ve-  
tus Ecclesiæ consuetudo. Recensui  
autem has quæstiones, quia plerique  
in hoc negotio tumultuantur, cùm  
nesciant, quām variae & obscuræ sint  
controversiae. Porrò nos de Missa &  
de Sacrificio, paulò pòst dicturi su-  
mus.

Nunc

Nunc de Sacramento, quod ad omnes in Ecclesia pertinet.

**Quia est signum processus remissionis peccatorum, quæ certè ad omnes pertinet.**

Primum autem de genere supra dictum est, Sacramentum esse ceremoniam additam promissioni, in qua Deus nobis aliquid exhibet. Sic & hec cœna est Sacramentum. Debet enim intelligi ceremonia addita summæ rationis Euangelij, quam & complebitur in ipsis verbis: **HIC EST calix nouum Testamentum, id est, testimonium nouæ promissionis.** Est & summa Euangelij, seu promissionis in his verbis: **HOC EST corpus meū, quod pro vobis traditur:** **HIC EST sanguis, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum.** Principaliter igitur finish huius ceremonię est, ut testetur, nobis exhiberi res in Euāgeliō promissas, scilicet, remissionē peccatorum, & iustificationē propter Christum. Principaliter enim illud intuiti debemus, sacramētum esse signum gratiæ, hanc cœnam esse signum noui Testamenti. **Quid est autem nouum Testamentum?** Certè promissio est remis-

remissionis peccatorum, & reconciliatio  
 nis propter Christum. Deinde, sic  
 prodest hæc ceremonia, cùm fidē ad-  
 dimus, scilicet, qua credimus promis-  
 sa ista nobis contingere, nosq; conso-  
 lamur. Et hoc spectaculū oculis atque  
 animo obijcitur, vt nos ad credendū  
 admoneat, & fides in nobis exfuscite-  
 tur. Christus enim testatur, ad nos pti-  
 nere beneficiū suū, & nos sibi adiūgit  
 tanq; membra, qua nō potest alia con-  
 iunctio cogitari ppior. Testatur item,  
 se in nobis efficacē fore, quia ipse est  
 vita: dat sanguinem, vt testetur se nos  
 abluere. Hæc cū in illa sanctissima cœ-  
 na geri videm⁹, fides accedere debet,  
 ita proderit vſus ceremoniæ, & cōsolati-  
 bitur & viuiscabit cōscientiam. Atq;  
 hic vſus primarius est, & pariter ad sa-  
 credotes & ad laicos p̄tinet, sicut pari-  
 ter op⁹ est remissione peccatorū, & cō-  
 solatiōe: sed sacerdotes ministri sunt,  
 alijs exhibētes sacramētū. Ex his appa-  
 ret, cœnā Domini sacramentū esse, qā  
 est signū, additū promissiōi Euange-  
 lij. Apparet item, quis sit principalis  
 finis,

finis, & quod non prospicit ex opere operato, scilicet, quod in usu fides accedere debeat. Addamus etiam de separatione, & qui dignè sumant. Ecclesia olim arcebat à communione obnoxios manifestis criminibus, quia hoc sacramento uti debent, qui agunt poenitentiam: quia his proponitur testimonium remissionis peccatorum, quo admoniti fidem erigere debent hi, qui habent perterrefactas conscientias. Id est dignè sumere, cum utuntur hi, qui agunt poenitentiā, & tamen utuntur, non frati propria dignitate, sed credentes, remitti peccata gratis propter Christum, non propter hoc opus sumptuosis. Sed hæc sumptio signum quoddam est, & testimonium illius beneficij. Hæc de principali fine necesse est monere, quia alij intelligunt, hanc ceremoniam tantum opus quoddam esse, in quo nos præstamus aliquid Deo, nec referunt ad promissionem, nec docent, quomodo ad fidem exercendam prospicit, quomodo prospicit ad consolandas conscientias. Est igitur ille principalis finis tenendus

tenendus de consolatione conscientiarum. Postea debent accedere & cæteri fines: gratiarum actio, quo conse-  
quuti remissionem peccatorum, pro  
tata misericordia agimus gratias. Est  
& finis, adhortatio ad bene operan-  
dum, ne polluamus corpora iam con-  
iuncta corpori Christi, & abluta san-  
guine Christi. Item, fines ad charitatē  
pertinentes: cùm omnes efficiamur  
membra vnius corporis Christi, debe-  
mus inter nos deuincti esse mutua di-  
lectione, &c.

### *DE VERBIS COENÆ.*

Nihil est opus disputationibus de transsubstantiatione, videlicet, quod substantia panis abiciatur, & maneat ibi accidentia sine subiecto, & includatur illi figuræ corpus Christi. Hæc neque sunt in scripturis, quia Paulus inquit: Panis quæ frangimus, &c. neque habent vetera testimonia: & habent aliquid periculi, quia propter eam rationem sacramentum ad multos intollerabiles abusus translatum est. Quid

Veteres senserint, apparet ex ipsorum  
sententijs diligenter inspectis & col-  
latis. Hilarius inquit: Si verè carnem  
corporis nostri Christus assumpsit, &  
verè homo ille est Christus, nosq; ve-  
rè sub mysterio carnem corporis sui  
sumimus: & per hoc cunctū erimus, quia  
Pater in eo est, & ille in nobis. Et dein-  
adest Bapti de: De naturali enim Christi in nobis  
veritate quæ dicimus, nisi ab eo didi-  
cimus, stulte atq; impiè dicemus. Ipse  
enim ait: Caro mea verè est esca, & san-  
guis meus verè est potus: qui edit car-  
nem meam, & babit sanguinem meū,  
in me manet, & ego in eo. Et deinde:  
De veritate carnis & sanguinis, non  
relictus est ambigendi locus. Nunc e-  
nim & Domini professione, & fideno-  
stra, verè caro est, & verè sanguis est: &  
hæc accepta & hausta efficiunt, ut &  
nos in Christo, & Christus in nobis  
sit, &c. Et deinde: Quod autem natu-  
raliter in nobis sit, ipse testatus est:  
Qui edit carnem meam, & babit san-  
guinem meum, in me manet, & ego  
in eo. Non enim in Christo erit, nisi  
in quo

Sicut Ies-  
sus: Voca-  
zione diui-  
na, panis fit  
corpus, id  
est, diuina  
ordinatio-  
ne,

In quo ipse fuerit. Hæc omnia testan- Nisi prius  
 tur, Hilarium ita sensisse, quod his re- factus sit  
 bus, pane & vino, datis, dentur in my- membrum  
 sterio, hoc est, tanquam per hæc signa, Christi.  
 corpus & sanguis Christi: atque ita ve-  
 rè adsit Christus, & sit efficax. Et simi-  
 les sunt sententiæ multorum. Sic &  
 Cyrillus inquit in capitulo decimoquin-  
 to Ioannis: Vnde considerandum est, Vbi est ali-  
 non habitudine solùm, quæ per cha- quod signū  
 ritatem intelligitur, Christum in no- significans  
 bis esse: verum etiam & participatio- alias res sa-  
 ne naturali. Quibus verbis significat, cramentis.  
 verè adesse Christum, atque effi-  
 cacem esse. Loquitur

**X**o<sup>2</sup>**II**o<sup>2</sup> **S**E

enim de Sacra  
 mento: proprieT

**SEQVNTVR EPI-**  
**STOLAE ALIQUOT ET**  
 responsa eiusdem autoris, & a-  
 liorum; de eadem con-  
 trouersia.

**MELANCHTHON**  
**CALVINO.**

**R**EVERENDE vir, & cha-  
 rissime frater, legi scriptū  
 tuum, in quo refutasti lu-  
 culenter horrendas Scru-  
 ti blasphemias, ac filio Dei gratias a-  
 go, qui fuit ~~legatus~~ huius tui ago-  
 nis. Tibi quoq; Ecclesia & nunc & ad  
 posteros gratitudinem debet & debe-  
 bit. Tuo iudicio prorsus assentior. Af-  
 firmo etiam vestros Magistratus iuste-  
 fecisse, quod hominē blasphemū, re-  
 ordine iudicata interfecerunt. Quod  
 verò in proximis literis me hortaris,  
 ut reprimam ineruditos claimores il-  
 lorum, qui renouant certamen ~~agre-~~  
~~agre-~~, scito quosdam præcipue  
 odio

odio mei eam disputationem mouere, ut habeant plausibilem causam ad me opprimendum. Cum doctis & bonis viris multa colloquutus sum de multis disputationibus, quas hec vna contiouersia complectitur, de diuinorum personarum proprietatibus, de patefactione Dei: Διὰ λόγγων τετύματος in vera conuersione, seu consolatione. De his tantis rebus maximè tecum loqui cuperem, quem scio amorem esse veritatis, & non habere animum occupatum odijs, aut alijs stultis affectibus. Sic ait Nazianzenus: ἐκ φωτὸς τῷ πατρὶ φῶς καταλαμβάνομεν τὸ μῆδον τὸ φωτὶ τῷ τετύματι αγίῳ. Etsi pauca sunt eius scriptoris dicta de illa agnitione Dei, quæ lucet in vera consolatione, tamē hoc dicto delectatus sum, quod inscrūi huic Epistolæ, quia tibi quoq; gratā fore eius mentionē arbitrabar. Hæc nihil τρόπῳ ἀπολαμβάνεια. Non despero nos colloquuturos esse, antequam ex hoc mortali carcere mens discedat. Etsi enim propter senectam à meta huius curriculi non

procul absum: tamen quotidie noua  
exilia expecto! Oro autem filium Dei,  
Dominum nostrum Iesum Christum  
crucifixum pro nobis, & resuscitato,  
custodem Ecclesiae suae, ut te & nos o-  
mnes gubernet. Bene vale charissime  
frater. Die 14. Octob. 1554.

*REVERENDO VIRO, ER<sup>IN</sup>  
ditione & virtute præstanti, D. Ioanni  
Caluino, fratri suo charissi-  
mo, S. D.*

**R**uerende vir, & charissime fra-  
ter: scio te pro tua excellenti pri-  
dentia ex scriptis aduersariorum tuo-  
rum iudicare, quales sint eorum natu-  
ræ, & quod intueantur theatru. Ideo  
nihil de eis scribam. Tantum oro filium  
Dei, ut ipse sua laceræ Ecclesiae medea-  
tur, velut Samaritanus ille fauicio via-  
tori. Audio nunc ἡμέραν τοῦ πάτρος καὶ τὸν  
ἀλεντψωνα ἐνόχην τοῦ πάτρος μεγάλον  
volumen σκλητού λογοῦ contra me cude-  
re: quod si edetur, decreui respondere  
simpliciter & sine ambiguitate. Eūq;  
labo.

laborem debere me Deo, & Ecclesiæ  
iudico:nec in hac senecta pertimesco  
exilia,& alia pericula.Bene & feliciter  
vale.Die 12.Maij.

PHILIPPVS.

*JOANNES CALVINUS*  
*Philippo Melanchthoni.*

**R**estè quidem & prudenter admo-  
nes,ornatissime vir,id sibi vnum  
nostros Antagonistas proponere,vt  
se theatro venditent. Quanquam au-  
tem sua opinio longè eos, vt spero,&  
eredibile est,frustrabitur: tamen vt to-  
tius mundi plausum referant, eò nos  
maiore studio ad cœlestē & γονωθέτω,  
sub cuius oculis certamus, intētos es-  
se decet. Quid? An sacer Angelorum  
confessus,qui & suo fauore nos exci-  
tant,& viam strenuè agendi præmon-  
strant suo exēplo,pigescere,vel cun-  
ctanter pedes mouere sinet? Quid to-  
tus sanctorum Patrū chorus? An nul-  
los addet stimulos? Quid porrò Dei  
Ecclesia quæ in mūdo versatur? Cām

X 4 eam

eam scimus & votis nobiscum pugna-  
 re, & exemplo nostro animari, an ni-  
 hil apud nos valebunt eius suffragia?  
 Meum verò sit hoc theatrū, cuius ap-  
 probatione contentus, quamuis me  
 totus mundus exsibilet, animo nun-  
 quam deficiam: tantum abest, ut insul-  
 sis clamatoribus inuideam, si iusta-  
 cea gloriola in obscuro angulo ad-  
 breue tempus fruantur. Quid plausi-  
 bile sit mundo vel odiosum, me non  
 latet. Sed mihi nihil pluris est, quam  
 præscriptam à magistro normam se-  
 qui. Nec dubito, quin hæc ingenuitas  
 pijs & sanis gratior tandem futura sit,  
 quam flexibilis & mollis docendi ra-  
 tio, qua inanem metum præse ferat.  
 Quod te Deo & Ecclesiæ debere agno-  
 scis, obsecro te ut quamprimum sol-  
 uas. Neque in hanc rem insisto, quod  
 partem inuidiæ in te exonerans, tan-  
 tudem me leuatum iri confidam:  
 quin potius, si liceat, quidquid in te  
 oneris iam incumbit, pro meo in te  
 amore atque obseruātia, paratus forē  
 in meos humeros suscipere: sed tuum  
 est

est expendere, ut ego monitor nō accedam, nisi dubitatione pios homines quite respiciunt, mature liberes, te vix unquam soluendo fore. Adde etiam, quod nisi serum hoc & vesperinum gallicinium te expergefaciat, pigrū meritò omnes clamabunt. Vale præstantissime vir, & mihi ex animo venerande. Christus fidelis suorū custos tibi semper adsit, te regat & tuatur. Amen. D. Camerarium, & si qui præterea istic sunt amici, meo nomine saluta. Genevæ. 10. Calend. Septemb. 1555.

*PHILIPPVS MELANCH-*  
*thon Henrico Bullingero S.D.*

R Euerende Vir, & charissime frater, cùm allata essent exēpla tui scripti ὡρὶ διηκοσίων, statim emi & legi, ac letatus sum consensu vestrarum & nostrarum Ecclesiarum. Postea tuas literas, & librum à te missum accepi. Tibi igitur & pro benevolentia erga metua, & pro munere gratias ago.

X 5 Legi

Legi etiam quæ de Serueti blasphemis respondistis, & pietatem ac iudicia vestra probbo. Iudico etiam, *Senatum* Genueensem recte fecisse, quod hominem pertinacem & non omittit blasphemias, sustulit. Ac miratus sum, esse, qui saueritatem illam improbent. Mitto de ea quæstione breues pagellas, sed tamen sententiæ nostræ testes. Quidam veteres amici mei minitantur mihi, se ὑπέρ ἀγρλαριας contra me scripturos esse: si quid edet nominatim contra me, decreui, Deo iuuante, respondere, etiam si hoc certamen omitti malim. Pios & doctos de re tanta placide colloqui utilius esset. Oro autem filium Dei, ut nos omnes gubernet, sanet Ecclesiæ vulnera. Bene & feliciter vale, charissime frater. Die 20. Augusti. Salutem opto vobis omnibus.

*PAVLVS EBERVS D.  
Alberto Hartenbergio.*

**V**enerande D. Alberte, tuas pro positiones de naturarū in Chri sto

sto proprietatibus distinctis, legi cum  
 voluptate: & quantum ego quidem  
 intelligo, qui mihi in rebus tantis ni-  
 hil sumere audeo, iudico eas veras es-  
 se. Etsi enim in antiquis Ecclesiasticis  
 scriptoribus nihil legi, quorum certè  
 iudicium in hac re cōtemni non de-  
 bet: tamen ut nuper vidi quādam ex  
 ijs decerpta testimonia ad hanc rem  
 pertinentia, animaduerto eos hoc cō  
 stanter assuerare, utramq; naturā re-  
 tinere suas proprietates: nec conce-  
 dere confusionem naturarū, etsi pro-  
 prietas vnius naturæ toti personæ  
 attribuantur per Idiomatum cōmu-  
 nicationem. Miror itaque tui college  
 importunitatem, quod contrariā sen-  
 tentiā de Vbiuitate tanta vchemen-  
 tia coram vulgo tueri conetur, & non  
 consulat antiquorum sententias hac  
 de re. Quid noster Præceptor de illa  
 quæstione sentiat, ex scripto eius co-  
 gnosces. De altera cōtrouersia adhuc  
 continet se, ne quid palam pronun-  
 ciet, cūm obseruetur īfidoſe à tam  
 multis, cupiētibus sibi aliam occasio-  
 nē

nem dari ipsum palam traducendi spe-  
cie alia erroris plausibili, quam cum  
nondum habeant, querunt interea a-  
lias minutulas, sed omnino sperat ad  
huc breui fore congressum eruditio-  
rum, ubi declaraturus est suam senten-  
tiam. Video sanè multas grauissimas  
causas esse, quod prodesset sine diili-  
mulatione logiori dicere, quid quis-  
que sentiat: sed iudico ipsum sui ha-  
ctenus usurpati silentij non leues cau-  
sas habuisse, quas aliquando intellige-  
mus. Ioannem à Lasco libentissime  
vidi, eiusq; bonis & pijs sermonibus  
valde delectatus sum. Salutem ex me  
dicio Achati tuo. Nonis Decembri  
bus. Anno 1556.

*PHILIPPVS MELANCH-*  
*THON eidem.*

**R**Euerende vir, & charissime fra-  
ter, prudenter fecisti, quod tantā  
instituisti disputationem de proposi-  
tione, de qua vniuersae Antiquitatis  
sententiam defendis. Meum consiliū  
scripsi

scripsi domino Consuli. Ac profecto  
 optarim & Lutetiæ & plurimaruſi Aca-  
 demiarum iudicia flagitari. Properari  
 eò minus velim, quia in Polonia &  
 Germania conuentum eruditoruſ  
 fore arbitror. Ioannes à Lasco hâc iter  
 fecit proficisciens in Poloniā, qui spe-  
 rat nobilitatem Polonicam postula-  
 turam esse, ut ex Germania etiam ali-  
 qui ad Synodum Polonicam veniāt,  
 præcipue ut ὡλὴν λατεῖας pium  
 decretum cōdatur. Commoratus est  
 hīc integrum diem, & de te multa ho-  
 norifice loquitus est. Adhuc etiam  
 in Germanico cōuentu colloquium  
 Theologorum expectatur. Nam Ra-  
 tisbonæ nuper decretū est, ut sint col-  
 loquutores Canisius, Staphylus, &  
 Velhius, Brentius, Sneppius, ac Philip-  
 pus. Si veritas quæreretur, optandum  
 esset, ut prodiret colloquiū, sed quas  
 voluntates, quæ preiudicia singuli af-  
 ferant, non ignoras. Quicquid autem  
 erit, tibi significabo. Te oro, ut de ne-  
 gotio omnium maximo cunctanter  
 agas, præsertim cùm Polonicas deli-  
 berā-

berationes expectemus. Mitto pagel-  
las, et si & antea me misisse arbitror.  
Nunc nihil habeo recentius. Mitto  
Epistolam vicino inscriptam; quam  
Lasco mitti petiuit. Bene vale, & re-  
scribe. 1556. &c.

*PHILIPPVS AD  
Bremenses.*

**G**OTTES Gnad durch seinen  
eingebornen Sohn Jesum Christum  
unsern Heilande / vnd warhaftigen  
Helfer / vnd ein frdlich newes Jar zuvor.  
Erbare / Weise / fürneme / Günstige Herrin/  
E.E. haben wir gehört / vnd die übergebene  
Schrift vnd Confession mit fleiß gelesen/  
vnd vernemen drauß / daß E.E. als lobliche  
Regenten / spaltung der Kirchen in diesen  
Ländern zuverhütten geneigt seind. Derobalz  
den berichten wir / daß auch in den Kirchen  
allhie / vnd in ganzem Lande dieser Herr  
schafft / der Artickel vom Abendmal des Her-  
ren Christi / eintrechiglich / laut der öffentli-  
chen Confession aller dieser Kirchen / anno  
1530. zu Augspurg überantwort / gepres-  
diget wirdt / vnd ist unser gemüt nicht Spal-  
tungen anzurichten / sondern zu bleiben in  
gemelter Confession / vnd bitten daß wir in  
ihme in ewiger einigkeit bleiben / vnd daß die

die Kirchen aller Sächsischen Landen / Gottes wonung vnd Kirchen ewiglich seind.  
 Damit nun Einigkeit erhalten werde / achten wir für gut / daß nicht frembde Disputations in diesen Artickel gemengt werden / daß auch bescheidenlich die gewöhnliche form zureden behalten werde. Nun haben wir nur vernomen / daß die Gelehrte in den Sächsischen Landen diese Wort gebraucht hetten / Panem & vinum esse essentiale corpus & sanguinem. Sondern diese form / Cum pane sumitur corpus, &c. Ist gewöhnlich vnd gemäß dieser form / Panis est cōmunicatio corporis. Und zuverhüten vieler erschröcklichen missbreuch vnd Abgötterey / ist notwendig dabeyp auszutrukē / daß kein ding oder Ritus außer dem branch den Gott geordnet hat / Sacra mit sein kan. Die weil dañ sehr nötig ist / rechte eintrechtinge gleiche formē zu redē behalte / auch den nachkommenē zu gut / haben wir / vñ viel andere / hohes vñ niedriges stands / lange begert / vñ begeren diser noch / daß aus allen Kirchen / welche reine Lehr des Euangeliūs angenommen habē / Gottfürchtige vñ Gelehrte Männer zusammen verordnet würden / sich von vilen nötigen sachen zu vnderreden / dar zu wir uns willig erbottē habē / vñ bitte Gott nachmals Gnade darzu zuuerleihen. Dieses habē wir auf E. E. Schrifft bedacht zuaworten / vñ seind mit Gottes Gnade Christliche Einigkeit zuerhalte zu höchste begirig. Der Allmechtige Sohn Gottes / Jesus Chri-

stus /

stus / wölle ewere Statt vnd ewer Kirchen/  
E. E. vnnd die ewern / allezeit genediglichen  
bewahren vnd regieren / etc.

*PHILIPPVS MELANCH-*  
*THON N.N. S. D.*

**V**enerande Vir, & charissime fra-  
ter, Euangelium est potētia Dei  
ad salutem omni credenti. Tota iigi-  
tur Diuinitas verè adest, & efficax est  
in omnibus gradibus ministerij, vide-  
licet, sonante voce Euangelij, & in viu  
Sacramentorum. Sed ordo considere-  
tur: Filius profert Euangelium ex sinu  
æterni Patris, & ostendit Patrem: Ita  
simul adest Pater, & per Filiū dat Spiri-  
tum sanctum. Hæc pijs omnibus cer-  
tissima sunt. Et utile est considerare  
discrimen Patris, Filii, & Spiritus san-  
cti, de quibus in examine aliquid. Nec  
negari potest, ipsum Filium adesse in  
baptismo, quia expressè dicitur: Bapti-  
zabit vos Spiritu & igni: & inuocatio  
Patris, Filii & Spiritus sancti in baptis-  
mo, testimoniu est de præsentia. Sed  
interrogas, eodem modo adest in  
Baptis-

Baptismo, & in cœna Filius? Respon-  
deo: Quod ad effectum attinet, adest  
Divinitas eodem modo sonante Eu-  
gelio, & in usu Sacramentorum: sed  
modus utcunque discerni potest. In  
Baptismo adest Filius, ut ad regenera-  
tionem: in Cœna, ut ad renati confir-  
mationem seu nutritionem: in qua  
testatur, se assiduè in nobis, ut in mem-  
bris suis, efficacem esse, & nos facere  
sibi membra, sicut inquit: Ego vitis,  
vos palmites. Ac loquor de præsentia  
in sumente. Nihil enim habet ratio-  
nem sacramenti extra usum institu-  
tum. Remoueo ἀγριατια. Eruditissi-  
mè Paulus inquit: Panis est κονιωνία  
σώματος. Quo dicto affirmat, extra  
sumptionem, panem non habere ra-  
tionem sacramenti: sed in ipsa com-  
municatione pignus esse, quo inseri-  
mur corpori Christi. Sed de hac tota-  
re, & te, & doctos ac pios opta-  
rim placide colloqui  
posse.

**I V D I C I V M I N C L Y T E**  
*Academia VVittebergensis, de controversia  
 Cœna Domini, à Philippo Melanchthonem con-  
 scriptum, & missum Ecclesijs Trans-  
 syluaniae. Anno 1558.*

**Q**ilibet homo debet corp<sup>o</sup> Chri-  
 stianæ doctrinæ integrum disce-  
 re, & statuere, se velle ciuem esse veræ  
 Ecclesiæ Dei: & debet considerare, quæ  
 & ubi sit vera Ecclesia, iuxta dictum:  
**Credo esse Ecclesiam catholicam, san-**  
**ctorum communionem. Debet etiā**  
 cogitare quid inuocet, & ad veræ Ec-  
 clesiæ inuocationem adiūgere suam  
 inuocationē, & fugere manifesta Ido-  
 la Ethnica, Mahometica, Papistica,  
 &c. Multi autem passim vagantur, qui  
 cum non curent præcipuam doctrinę  
 Christianæ partem, excerptunt quædā  
 minus necessaria, de quibus tumul-  
 tuātur sine fine: ut fit ab ijs, qui de sta-  
 tuis & ab renunciatione (ut nominat)  
 quæ fit alicubi ante Baptismum, liti-  
 gant. Omnia necessarium est, discer-  
 nere in doctrina & cultibus diuinis  
 res

res necessarias, & non necessarias, sicut  
ut Syracidæ 3. cap. dicitur: Quæ man-  
dauit tibi Deus, ea sanctè cogites. Ac  
in non necessarijs aliqua etiam infir-  
mis cōdonanda sunt, ne Ecclesiæ sau-  
ciæ & mœstæ magis sauentur.

DE STATVIS necessaria est do-  
ctrina, ne adorentur, nec ad eas fiant  
concursus. Sed remouere omnes sta-  
tuas & picturas ex priuatis & publicis  
ædibus, non necesse est. Optarem igi-  
tur, non moueri tumultus de ijs aufer-  
re di ex templis: sed si quis remouet,  
etiam non volo cum damnare, præ-  
sertim si remouet sine seditione. Et in  
neutra parte certamina moueri ve-  
lim. Professio & abrenunciatio in Ba-  
ptismo adultorum prorsus necessaria  
est: sed infantuli recipiuntur, & verè  
sunt membra Ecclesiæ per Baptismū,  
etiamsi professionem & abrenuncia-  
tionem nec faciunt, nec facere pos-  
sunt. Volo tum publicā Ecclesiæ pre-  
lationem pro infantibus ante Baptis-  
mum fieri, volo & legi testimonium  
Euangelij: Sinite parvulos venire ad

me, &c. Hæc retinemus in nostris Ecclesijs, precationem & lectionem, ante Baptismum infantum. Si quæ verba sunt in Exorcismo & in professione, de quibus litigant nonnulli, ego quidem de ijs nullas rixas moueo: sed condono quædam consuetudini. Aliubi in Ecclesijs recte docentibus, Exorcismi & illæ professiones, quæ sunt per susceptores, abolitæ sunt: dedi consilium, ut restituantur, nè nouæ rixæ oriantur. Dicat sanè timidus & frigidus, quia nolo de talibus rebus rixari. Ostendo me ciuem esse huius veræ Ecclesiæ, quæ amplectitur confessionem nostram, quæ extat: & quædam infirmis pijs cōdonanda esse sentio, sed scio motis controversijs, etiā leuibus postea certari ira & odijs. Hęc mala deploro, & precor filium Dei, vt & seruet Ecclesiam, & nos in ea, & nos gubernet.

**DE COENA DOMINI** diffidilius est certamen, sed Papistici erroris manifesti sunt, qui extra institutum usum circūgestant panem, reponunt, offe-

offerunt, & ibi adorant. Contra hos  
tetros errores teneamus regulam: Ni-  
hil habet rationem Sacramenti extra  
vsum institutum. Quia creatura non  
potest instituere Sacramentum. Hac  
regula posita, multæ falsæ adoratio-  
nes ruunt: nec Eccius poterat hanc re-  
gulam refutare in conuentu Ratis-  
bonensi. Postea de instituto vsu in  
vera Ecclesia affirmo, prouersus filium  
D E I verè & substantialiter adesse  
præsentem in ministerio instituto:  
quia persona est ab æterno Patre mis-  
sa, vt proferat Euangeliū ex sinu æ-  
terni Patris, & sit efficax, & colligat  
Ecclesiam. Hæc persona in hoc mi-  
nisterio sic adest verè & substantia-  
liter, & est efficax, & communicatio-  
ne corporis & sanguinis sui facit nos  
sibi membra, & sese, & beneficia sua  
nobis applicat, sicut & Hilarius dicit:  
Hæc sumpta & hausta faciunt, vt Chri-  
stus sit in nobis, & nos in ipso. De hac  
communicatione & sumptione lo-  
quitur Dominus: Accipite, mandu-  
cate. Et de præsentia filij Dei in mini-

Y 3 ste-

sterio homines docendi sunt, & de applicatione: quia seipsum nobis applicat, & nos sibi membra facit vere & substantialiter praesens. Nec singatur Cœna esse inane spectaculum. Existimo autem consuli posse communis concordiae, si intra formas loquendi utriq; maneat, quas in confessione nostra posuimus. Non defendimus ea, quæ extra institutum usum Papistæ addiderunt, quibus remotis, existimo posse concordiam in Ecclesijs nostris constitui.

Et oro ipsum filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum, ut semper sibi Ecclesiam inter nos colligat & gubernet. Et ad confessionem nostram publicè editam me refiero. Hac scripsi, ut concordiae Ecclesiarum consulam, non ut atrociora certamina excitem: & peto, piè considerentur. Die decimosexto Ianuarij, Anni millesimi, quingentesimi, quinquagessimi octaui.

Philipus Melanchthon.  
QVO'

*Q<sup>U</sup>OD MODO C<sup>H</sup>R<sup>I</sup>L-*  
*sus sit in Cœna.*

Certum est, Deum nō esse alligandum ad illam rem, ad quā se non alligauit ipse verbo suo. Sicut peccant omnes, qui Deum magis ad hāc statuam, quam ad aliam exaudire imaginantur. Et ex tali imaginacione, omnes Idolomaniaे ortæ sunt in mundo. Non est igitur alligatus Deus ad panem & vinum extravsum, ad quem Cœna Domini instituta est. Et merus furor est, fingere, quod dictis verbis à cōsecrante, sic immigret corpus Domini in panem, ut ibi semper manere cogatur: sicut infusum vinū in cantharum manet, et si rursus effundatur. Sed Sacra menta sunt pacta & exhibitiones, & cum sumuntur ille res, simul adest Christus, & est efficax. Hæc sacramentalis præsentia est voluntaria, non est inclusio Geometrica vel magica, qua excogitur Christus in pane manere.

Cū baptizatur homo, in ipsa actio-

nē verē adest Spiritus sanctus, non manet in aqua extra actionem. Sunt igitur abominandæ illæ quæstiones: An mus rodens panem cōsecratum, comedat corpus Christi. Et abominādus est mos circumferendi panis in spectaculis. Quare ea, quæ post communionem reliqua sunt de pane & vino, quæ non manducantur ab ijs, quorum sit intentio, ut Cœna Domini non sunt Sacramenta: quia actio tota, Sacramentum facit. Sed propter pios & reuerentiam consulo, ut reliquum in poculo ebibat vltimus communicans, vel unus, vel plures.

*AD MARCHIONEM GEORGII FRIDERICUM, DE COTROUERIA INTER DECANUM ANSPACHENSEM, & PASTOREM EIUS LOCI, DIE 12. SEPTEMBR. IN VRBE VANGIONUM.*

**N**on dubium est, Papisticam adorationem in circumgestatione, repositione, & oblatione, simpliciter idololatricam esse: quia nihil habet ratio.

rationem Sacramenti extra usum à  
 Deo institutum, cum nulla creatura  
 possit Sacramentum facere. Institu-  
 tio autem diuina tantum de sumptio-  
 ne loquitur, ut scriptum est: Accipite,  
 manducate. Item: Panis est κοινωνία  
 σάματος. Hæc verba expressè de sum-  
 ptione loquuntur. Sic & Hilarius de  
 sumptione loquitur: Hæc sumpta &  
 hausta faciunt, ut Christus sit in no-  
 bis, & nos in Christo. Etsi igitur verè  
 & substantialiter adest filius Dei in  
 sumptione, faciens nos sibi membra,  
 & testificans, nos esse sua membra, &  
 nos consolans; tamen non ponitur  
 conuersio panis vel inclusio localis,  
 ut Papistæ dicunt. Et quidem expressè  
 inquit Theodoretus, doctus & anti-  
 quus scriptor, Φύσιρος μεταβάλλωμ. & E-  
 piphanius inquit, Βεβώσιε μοι αρτός τοι.  
 διάναμες δέ φύγεια δέ. Nequaquam igi-  
 tur dicendum est, descendere corpus  
 Christi inventrem, aut dentibus atte-  
 ri: sicut in Papistico Decreto dicitur.  
 Lutherus etiā σωκειδοχίῳ expressè pro-  
 bat, & sape cā recitat. *Ioan. Brent.*

**N**ihil dubium est, adorationem Papisticam in circumgestatione panis, & repositione, & oblatione, idololatricam esse. Nihil enim habet rationem Sacramenti extra usum a Deo institutum. Creatura enim facere Sacra menta non potest. Instituta autem est sumptio, in qua cum pane & vino vere & substantialiter adest filius Dei, & testificatur hac exteriora sumptione, quod vere faciat nos sibi membra, & sese, & sua bona nobis communicet. Sic Hilarius inquit: Hæc sumpta & hausta faciunt, ut Christus sit in nobis, & nos in Christo. Nec sit conuersio substantiæ panis. Cum autem facta sumptione descendat panis in ventrem, & alteretur, estque iam cibus corporalis: desijt ratio Sacramenti. Ideo omittatur illa absurda phrasis: Corpus Christi, vel Christum, descendere in

re in ventrem. Nec Lutherus ponit conuersiōnem substantiæ panis: sed ponit synecdochen, videlicet, sumpto pane & vino, verè sumi corpus & sanguinem.

Ad hanc synecdochen congruunt & Pauli verba, quæ tantum de vsu instituto loquuntur. Panis est ~~corporis~~  
~~væria~~ corporis, id est, id, quo nobis communicatur corpus Christi. Post hunc usum, cum panis alteratur in ventre, alius usus est panis. Videntur sermones profani, & doceantur homines de ipsa ratione Sacramenti, videlicet, de testificatione, quod simus membra Christi. Deinde, de vera consolatione, que est man-  
ducatio spiritualis, & cætera.

Philipus Me-  
lanchthon.

CLA-

*CLARISSIMO VIRO, E-  
ruditione, virtute & pietate præstanti, D.  
Henrico Bullingerio, piè docenti Euangelium  
in Ecclesia Tigurina, amico suo, Phi-  
lippus Melanchthon*

*S. D.*

**I**Nspexi pleraque quæ edidisti, ac de-  
gustaui: sed Enarrationem Ioannis  
ferè totam perlegi. Nam cùm de mul-  
tis sententijs mecum sæpe conserat  
quidam meus amicus, qui hîc Ioan-  
nem interpretatur, subinde ad tuum  
scriptum redeo, te quoque consulēs.  
Amo enim Ecclesiam; & semper sen-  
si, iudicia Ecclesiæ magnificienda es-  
se. Ideo & veterum, & recentium sen-  
tentias consero, ut simplicem, natuā,  
propriam Ecclesiæ doctrinam & ipse  
teneam, & alijs tradere possim. Ac sa-  
pe testatus sum, placere mihi Enarra-  
tionem tuam: & quod vera dicit, &  
σιμφωνη veræ Ecclesiæ Dei, & saluta-  
riæ. Multi interpretes alienorum ope-  
rum ita exspaciantur ac deerrat à su-  
is autoribus, vt nihil dicant, aut pau-  
ca,

ca, προσέπνεια. Tua enarratio immoratur proposito argumento, & id illustrat. Quare non solū pro codice misso, meo nomine tibi gratias ago: sed etiā publico nomine, pro editio- ne: teq; quod facis, adhortor, vt de Ec clesia bene mereri pergas, edēdis pijs, vtilibus & moderatis lucubrationib;. Si quæ scribuntur ex his regionibus epistolæ horridiores ab aliquib<sup>9</sup>, nos tamen reliqui soueamus consensum & animorum coniunctionem inter nos, nec magis diuelli nostras Ecclesi- as sinamus. Non tam, inquit Basilius, sinistræ opus est dextra, quam Eccle- siæ concordia docentium. Facilius ac cendi & retineri bonorum studia, ma iori grauitate disciplina qualiscunq; defendi potest, si doctores & in docēdo consentiant, & inter se mutua be- neuolentia cōiuncti erūt. Ideo quan- tum possum, astringere nostram con- iunctionem, non dissipare, velim. Hęc simplici animo & candidè scribo: teq; rogo, vt de tua voluntate rescribas. D. Pellicano, veteri meo amico, salutem  
 in me

opto;

Opto: cuius literas ad Marcum quendam scriptas, ego cùm easu vidissem, ad me recepi, nec tradidi Marco, <sup>ad</sup>  $\tau\omega\mu\gamma\epsilon\pi\iota\tau\omega\mu\gamma$ . Bene vale. Die 25. Martij: quo ante annos 5504, Adam cōditus est, ante annos verò 1545, conceptus est Christus: & ante annos 1511 crucifixus. Typographo pro missis Biblijs ago gratias.

*E G R E G I A E R V D I T I O  
ne & virtute prædicto, D. Henrico Bul-  
lingerio, amico suo S. D.*

**F**Ortassis priusquam hæ meæ literæ ad te perferētur, accipies atrocissimum Lutheri scriptum, in quo bellū  $\Delta\varepsilon i\pi\nu\chi\nu\gamma\alpha\kappa\delta$  instaurat. Nunquā maiore impetu hāc causam egit. De sinō igitur sperare Ecclesiarum pacē. Tollent cristas inimici nostri, quide- fendant  $\epsilon\cdot\delta\omega\lambda\alpha$  monachorum: acrui- ius Ecclesiæ nostræ magis distrahu- tur, qua ex re ingentem capio dolo- rē. Nam priuato periculo, quod nunc mihi impenderet, etsi nō est leue, tamē tantum

tantum nō moueor, quantum Ecclesiarum nostrarum & literatorū distractiōnibus. Legi tuam Epistolam, seu querelam potius, quam dedisti Iosepho Pannonio: in qua mihi, qui fuerā hortator ad quædā dissimulanda, respondes. Sed hæc noua belli instauratio impedit, ne quid de moderatione nunc scribam. Bene vale. Prid. Calen. Septembris.

Τῷ Σεβετί Αναρπιέπρια  
καὶ βαλισθῶ ἀπλαφῶ οἰλατάτῳ.

S. P. D.

**R** Euerende vir, & charissime frater, sæpiissime recito dulcissimum versum, in quo numeri sunt Græci Poëtæ, sententia diuinitus tradita est: Εὐσεβέως τούτοις τὰ λαϊς, δυσεβέως Δοῦ. Cùm igitur & rectè inuoces Deum, & Ecclesiæ piè seruias: tua familia etiam Deo curæ erit. Filius Henricus Dei beneficio rectè valet, & in optimis doctrinarum studijs feliciter procedit, quem ut seruet Deus incolument, ac faciat cum σκεψῃ τοτο pectori opto.

opto. Cogitat de gradu, sed nihil nisi  
te iubente, agere eum ea in re voluit.  
φοβόμας γαρ Διαβολὰς πάντας οὐκ  
πάντας οὐκέτι, οὐδὲ δέλοιμι δημιουργούς  
εἰς γένεσιν τοῖς λόγοις πρέπει. Libenter  
ad te multa scriberem, nec impeditor  
occupationibus, et si non leuiter one-  
ratus sum: sed & rerum, & doloris mei  
magnitudo tanta est, ut instituere a-  
lia argumenta non possim: sed fortas-  
sis breui colloquemur. Nam & ego  
exilia visitata Ecclesiæ expecto. Salutē  
opto vobis omnibus, & nominatim  
Petro Martyri. Bene & feliciter vale.  
Die 16. Septemb. 1556.

*REVERENDO ET CLARISSIMO viro, virtute & doctrina præstanti, D.  
Henrico Bullingero, fratri suo charissimo, S. P. D.*

*R Euerende Vir, & charissime fra-  
ter, hodie tuum munus πλέον  
accepi in urbe Vangionum, & su-  
bito dedi literas viro optimo, Domi-  
no Oporino. Tantum inspexi locum  
de Gog*

de Gog & Magog: postea consideratu  
rus quomodo scriem totius libri ac-  
commodes ad tempora & Ecclesiæ di-  
uersa certamina, quæ certè in eo ope-  
re prædicuntur. Nos hîc duplicita cer-  
tamina sustinemus, αὐτὲσσι γάρ οὐες τὸ  
Φίσματα γράφθιῶν μὲν τὸν ἀρδοκιμαξόν-  
τωρ τὴν ἀρτολατεῖαν. Refragati sunt plu-  
rimi legati. Deus adsit Ecclesiæ suæ.  
Plura non potui scribere. Salutem D.  
Petro Martyri, D. Gesnero, D. Biblian-  
dro, & vobis omnibus opto. De filio  
velim te mihi scribere. Bene vale. Ex  
vrbe Vangionum, 20. Septemb. 1557.

E I D E M S. P.

**R**uerende vir, & charissime fra-  
ter, apud Xenophontem scriptū  
est, Lacedemonios domi dissipandos  
esse, ut apes pelluntur, cum sub ipsis  
alięolis sumi sinunt. Id astutè imitan-  
tur Antagonistæ nostri: omissis alijs  
materijs, de quibus est consensus in-  
ter nos, ordiuntur ἡ πατρολατεῖα:  
& ut nos distrahere possint, interro-  
gant, qui eam defensuri sint. Id certa-  
men nondum hîc diremptuni est; nec

Z

aliud

aliud hactenus h̄c est actum, &c. Be-  
ne & feliciter vale. Ex urbe Vangionū.  
Die 23. Septemb. 1557.

E I D E M S. P.

**R** Euerende Vir, & charissime fra-  
ter, cùm non perfecissent nostri  
collegæ, vt condemnationem vestrā-  
rum Ecclesiarum cōprobaremus, se-  
iunixerunt se à nobis, & eam priuatim  
exhibuerunt 7. Br̄asētr̄i Julio, à quo  
petiuerunt, vt publicè in confessu re-  
citaretur. Fuit autem ea moderatio-  
nē Br̄asētr̄i, vt recitari eam in confessu  
noluerit. Postea illi hinc discesserunt.  
Nunc igitur, an inchoata collatio p-  
cessura sit, dubitamus. Quicunque au-  
tem euentus erit, spero sapientes vi-  
ros nostram cunctationem non im-  
probaturos esse, quòd noluiimus sta-  
tim, re non disputata nec explicata,  
confirmare Pontificum idola & par-  
ricidia. Sed precor filium Dei, vt nos  
gubernet. Bene & feliciter vale. Dic-

s. Octobris. Salutem opto vobis  
omnibus, & nominatim

Petro Martyri.

E I D E M

## E I D E M S. P.

R Euerende Vir, & charissime frater,  
 s̄epe recito versum Homericum:  
 Εθλομ ἡσῆ τέπιη, δὲ ὁμελός αὐσιμα  
 εῖδε: quia non raro nunciorum ἀπα-  
 γοκαλίαν experior. Tuam longiorem  
 Epistolam, quam audiissimè expecto,  
 nondum accepi. Scito autem vestras  
 literas magna cura interripi à meis  
 inimicis, qua in re sceleri illorum ira-  
 scor. Ipsas verò literas & meas, & tuas  
 legi, non ægrè fero. Quid enim conti-  
 nent nisi pia colloquia & significatio-  
 nes maximi doloris, quo afficimur p-  
 ter dissidia publica, & propter κολα-  
 κτιας docentium, qui stabiliunt Ido-  
 la, & rabiem Pontificum confirmant?  
 N.bona fide tuas & Lascij literas mi-  
 hi exhibuit. Ac ne quidem Lascianæ  
 quidquam ἀγιόλογον continebāt, prę-  
 ter querelas. Ardet Polonia eodem  
 dissidio quo misera Germania ardet:  
 & aliquantò post, utramq; regionem  
 arsurā esse bellis Turcicis metuo. Pre-  
 cemur autem filium Dei, ut & Eccle-  
 sia vulnera sanet, & aliqua honesta-

hospitia seruet. In colloquio inchoato in vrbe Vangionum post προστίλια aduersarij γνωσιμαχίας in certamen redire noluerunt. Bene vale. Salutem opto vobis omnibus. Calend. Decembris.

E I D E M S. P.

**R**euerende Vir, & charissime fratres,  
queritur Ecclesia Dei se exulare inter  
Mesach & Cedar. Fiunt hæc utro-  
que modo: sauitia, quæ in corpora  
exercetur, & doctrinæ dissidijs. Me-  
sach, id est, Mosconij magnum bellū  
contra vicinos nostros gerunt. Alibi  
Turci grassantur. Interea & Pontificij  
Bauari, & nostri vicini Flaciani, edunt  
decreta. Respondeo Bauaris. Vos exi-  
stimo responsuros esse τοῖς πλησίον  
τρεισι Δοκιμάξασι, & oro ut mihi re-  
scribas. Bene vale. Die quarto Martij.  
Anno 1559.

PHILIPPVS MEL.

N. N. S. D.

**C**larissime vir, et charissime fratres  
et debedo, et habeo tibi gratiā pro  
perpe-

perpetua beneuolentia, & pro multo  
 rum officijs, in quo numero etiam e-  
 ruditissimæ disputationes, quas inter  
 dum mittis. Cæterum de Sycomorea  
 & Sycamino moueor & nomine, &  
 descriptione, quā Propheta Amos re-  
 citat, ut eandem arborē esse existimē,  
 & quidem eam, quæ Dioscoridi est fi-  
 cus Aegyptia. Fortassis alijs locis de-  
 gener, non satis agnita est à scriptori-  
 bus. Delector allegoria, quòd scalpi &  
 vngi fructū oportuit. Sed de tua quæ-  
 stione differamus: de qua primùm o-  
 mnium oro, ut eruditam Antiquita-  
 tem cōsideres, & ex dubitatione men-  
 tem euoluas. Scio, carnificinam nō so-  
 lūm sœuā, sed etiam periculosem esse  
 dubitationem. Ideo Paulus iubet ca-  
 ueri, ne abducantur animi in docēdo  
 τις Διακρίσεις Διαλογισμῶν. Existimo au-  
 tem, ad confirmandas mentescōsen-  
 sum Vetustatis plurimūm conduce-  
 re. Memini me Luthero ante annos  
 20. in itinere, cùm & placidior, & hila-  
 rior esset, recitare veterum Gr̄ecorum  
 & Latinorum dicta, quæ exprestè di-

cunt panem & vinum σύμβολα: item,  
& ut iππα esse: item, signum: item, figu-  
ram. Cumq; adderem, recentem erro-  
rem esse, ponere τὸ ἄρτον μεταβολῶν με-  
τασοιχείωσι, (sic enim recentiores lo-  
quuntur) ibi ille hæc verba subiecit:  
Mirum esset, in Ecclesia recenti potu-  
isse tantum errorem tamdiu harrere,  
& tam latè recipi. Repressi me, ac mi-  
rabar eum tempore in hac re moueri,  
cùm in alijs non moueretur. Augusti-  
nus contra Adimantum expressè in-  
quit: Non dubitauit Dominus dice-  
re. Hoc est corpus meum, cùm daret  
signū corporis. Tertullianus expressè  
inquit: Hoc est corpus meum, id est,  
figura corporis. Id Lutherus interpre-  
tatur figuram Geometricam. Vidile-  
gentes cum gemitu viros eruditos, &  
verè inuocantes Deum. Origenes ex-  
pressè inquit, προσφέρε δὲ οὐκ εἰλικρία τὰ  
τῷ σώματῷ, οὐδὲ τῷ ψυχατῷ σύμβολα.  
**Canon** vetus apud Græcos nominat,  
& ut iππα σώματα. Nazianzenus etiam  
hac voce vtitur: nominat panē, & ut iπ-  
πα σώμα. In recenti canone postea  
verbæ

verba plura addita sunt, *προσθήτας*  
 λέξις. In Theophylacto Oecolampadi-  
 us bona fide reddidit verba, *προσθήτας*  
*συντελεστώς*, quæ inuenit in suo codice.  
 Tota illa sententia deest in nostro co-  
 dice. Ita veteribus libris insertæ sunt  
 corruptæ. Narrauit mihi Auëtinus,  
 se in codice Bedæ, qui est in Bibliothè-  
 ca Passauensi, legisse enarrationē ver-  
 borum perspicuam, quæ tota desit in  
 libris editis. Reperi & ego manuscri-  
 ptum Bedam in Matthæum, in mona-  
 stero Vvaltsassensi, non dissentientem  
 ab Augustino. Mittam cùm primùm  
 potero, multorū veterum dicta. Fuit  
 enim mihi curæ, ut quantum possem,  
 Antiquitatem & inquirerem, & consi-  
 derarē: cuius enarratio non est asper-  
 nanda, cùm differitur, *προσθήτας* δια-  
 voīς. Nec iam instituo disputationē,  
 tantum velim te Antiquitatem consi-  
 derare. Quòd noster amicus de com-  
 municatione Idiomatū disputat, mi-  
 ror cum intelligere cōmunicationē  
 iδίωματων, confusionem physicā na-  
 turatum: interea tamen verum est, fi-

liū Dei adesse ministerio, &c in eo effi-  
cacem esse, ὃν τὸν κοινωνιαν εἶναι  
σώματόν τοῦ. Paulus disertè loquitus est.  
Scio enim te, virum doctum, rectè co-  
gitare, quid κοινωνία significet. Hac  
nunc breuiter scripsi, nec volo spargi  
in populum: et si tantum dicta Vete-  
rum recito, non pugno. Oro autem  
filium Dei, ut ipse opem ferat veritati  
suæ & Ecclesiæ, & nos gubernet. Bene  
& feliciter vale. Die 21. Martij. Anno

1559.

**IUDICIVM D. PHILIPPI**  
Melanchthonis de controvē-  
sia Cœnæ Domini.

**ILLVSTRISSIMO PRIN-**  
cipi & Domino, Domino Friderico, comiti P.  
latino Rheni, Electori, Duci Bauariae,  
&c. Dominos suo clementissi-  
mo S. D.

**I**llustrissime & clementissime Prin-  
cipes: certissimum est, legitima im-  
peria verè opus Dei esse, clementer  
conser-

conseruantis honestam societatem ge-  
 neris humani. Ideo verum Deum, & ter-  
 num Patrem Domini nostri Iesu Christi,  
 creatorem generis humani, colli-  
 gentem aeternam Ecclesiam vocem Euau-  
 gelij, toto pectore oro, ut Celsitudi-  
 nis vestram confirmet vires animae & cor-  
 poris, & tribuat salutaria consilia, & fe-  
 licem gubernationem. Gaudeo etiam,  
 Principem & Dominum patriae meae  
 vocatum esse ad agnitionem filij Dei,  
 & recte inuocare Deum, & souere Ec-  
 clesiam Christi; quem oro, ut vniuer-  
 sam familiam Principum Palatinorum  
 gubernet & protegat, nec sinat fieri  
 barbaricam vastitatem in patria mea.  
 Literas Celsitudinis vestram reuerenter  
 legi, & virum integerimum, Stephanum,  
 audiui: ac mitto Celsitudini ve-  
 stram scriptam responcionem, ac maxi-  
 me opto, ut tenerae Ecclesiae ubique trah-  
 quillae sint. Quam ad rem proderit, si  
 non sinent gubernatores defendi co-  
 trarias sententias. Probabo igitur consi-  
 lium Cels. V. quod utriusque parti silen-  
 tium mandarit. Opto autem, ut sapien-

tum Principum consilio & autorita-  
te aliquando, & ex aliarum gentium  
Ecclesijs, & nostris, pij & eruditii viri  
conuocentur, ut de omnibus contro-  
uersijs deliberetur, & vna consentiens  
forma doctrinæ vera & perspicua, sine  
ulla ambiguitate posteritati trada-  
tur. Interea quantum fieri potest, mo-  
deratis consilijs coniunctionem no-  
strarum Ecclesiarum foueamus. Bene  
& feliciter valeat Celsitudo vestra. Ca-  
lend. Nouemb. Anno 1559.

*Celsitudinis vestræ seruus  
Philippus Melanchthon.*

### RESPONSIo.

**N**on difficile, sed periculosum est  
respondere. Dicam tamen quæ  
nunc de controuersia illius loci mo-  
nere possum: & oro filiū Dei, ut & con-  
silia & euentus gubernet. Non dubiu-  
est, de cōtrouersia cœnæ ingentia cer-  
tamina & bella in toto orbe terrarum  
secutura esse: quia mundus dat pœ-  
nas idolatriæ & aliorum peccato-  
rum.

rum. Ideo petamus ut filius Dei nos  
 doceat & gubernet. Cum autem ubi-  
 que multi sint infirmi & nondum in-  
 stituti in doctrina Ecclesiæ, imò con-  
 firmati in erroribus: necesse est initio  
 habere rationem infirmorum. Probo  
 igitur consilium Illustrissimi Electo-  
 ris, quod rixantibus utrinque manda-  
 uit silentium, ne distractio fiat in te-  
 nera Ecclesia, & infirmi turbentur in  
 illo loco & vicinia: & optarim, rixato-  
 res in utraque parte abesse. Secundò, re-  
 motis contenciosis, pdest reliquos de  
 una forma verborum conuenire. Et in  
 hac controuersia optimum esset, reti-  
 nere verba Pauli: Panis quem frangi-  
 mus, κοινωνία της σώματος. Et copio-  
 se de fructu Coenæ dicendū est, ut in-  
 uitentur homines ad amorem huius  
 pignoris, & crebrum usum. Et vocabu-  
 lum κοινωνία, declarandum est. Non di-  
 cit mutari naturam panis, ut Papistæ  
 dicunt. Non dicit, ut Bremenses, panem  
 esse substantiale corpus Christi. Non  
 dicit, ut Heshusius, panem esse verum  
 corpus Christi: sed esse κοινωνία, id est,  
 hoc

hoc quo fit consociatio cum corpore Christi: quæ fit in vsu, & quidem nō sine cogitatione; vt cùm mures panē rodunt. Acerrimè pugnant Papistæ, & eorum similes, vt dicatur corpus Christi extra sumptionem inclusum esse speciebus panis, aut pani: & postulat adorationē; sicut Morlinus Brunsuigæ dixit, *Du muß nicht sagen/ Wum Wum/ sonder du muß sagen was dieses ist das der Priester in der Hand hat.*

Sacerdus iubet delapsas particulas colligi, & erasa terra comburi. Cùm Vvormatiæ essemus ante biennium, quæstio ad nos mittebatur ex aula quadam: An corpus Christi descendat in ventrem. Talibus prodigiosis quæstionibus reiectis, vtilius est retineri formam verborū Pauli, & de fructu rectè doceri homines. Potest inspici forma verborum Cœnæ in Examine Megalburgensi; vbi & commonefactio est de fructu Cœnæ. Adestit filius Dei in ministerio Euangelij, & ibi certò est efficax in credentibus, ac adest non propter panem, sed propter homi-

hominē, sicut inquit: Manete in me,  
 & ego in vobis. Item: Ego sum in Pa-  
 tre meo, & vos in me, & ego in vobis.  
 Et in his veris consolationibus, facit  
 nos sibi membra, & testatur, se corpo-  
 ra nostra viuiscaturum esse. Sic decla-  
 rant Veteres cœnā Domini. Sed hanc  
 veram & simplicem doctrinam de fru-  
 tu, nominant quidam cothurnos: &  
 postulant dici, an sit corpus in pane,  
 aut speciebus panis. Quasi verò sacra-  
 mentum propter panem, & illam Pa-  
 pisticam adorationem institutū sit:  
 Postea fingunt quomodo includant  
 pani: alij conuersionem, alij transsub-  
 stantiationem, alij ubiquitatem exco-  
 gitarunt. Hæc portentosa omnia igno-  
 ta sunt eruditæ Vetustati.

Negat Heshusius se assentiri Orige-  
 ni, qui nominat panem & vinū σύμβο-  
 λα τῷ σώματῷ καὶ ματῷ. Rejicit cō-  
 tumeliosè Clementem Alexandrinū.  
 Pronunciabit eodem modo de Augu-  
 stino, Ambrosio, Prospero, Dionysio,  
 Tertulliano, Beda, Basilio, Nazianze-  
 no, qui nominat ἀντιπρόσωπο: Theo-  
 doreto,

doreto, qui ait de pane, φύσις τὸ μεταβόλητον  
 λόγος Quæ est igitur tāta autoritas Hes.  
 husij, vt ipsi potius assentiamur, quām  
 tot probatis veteribus scriptoribus,  
 qui perspicuè testantur, tunc Ecclesiā  
 non habuisse Pontificium dogma, &  
 adorationem? Quæ si noua sunt in Ec-  
 clesia, cogitandum est, an recentiori-  
 bus licuerit nouum dogma inuehere  
 in Ecclesiam. Nec ego ignoro, multa  
 citari notha veterū titulis: de quibus  
 cruditi iudicent. Nec verò iam insti-  
 tuī longam disputationem; nec cum  
 cōtentiosis, qui idola & parricidia sta-  
 biliunt, disputare volo: quorum sequi-  
 tiā & ego experior. Sed tantū pro  
 meo iudicio significare volui, quid in  
 illo loco pro infirmitate tenerę Eccle-  
 siæ faciendum esse existimem. Ac ma-  
 neo in hac sententia, contentiones  
 vtrinque prohibendas esse, & forma  
 verborum vna & simili vtendum esse.  
 Si quibus hæc non placent, nec volūt  
 ad communionem accedere, his per-  
 mittatur vt suō iudicio vtantur, mo-  
 dò non fiant distractiones in populo.

Oro.

Oro autem filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum, sedentem ad dextram æterni Patris, & colligentem æternam Ecclesiam voce Euangeli, ut nos doceat, gubernet & protegat. Opto etiam, ut aliquando in pia Synodo de omnibus controversijs horum temporum deliberetur.

*Ex autographo.*

**I D E M D. P H I L I P P V S I N**  
*enarratione sua Epistolæ Pauli ad Coloff. cap.*  
*3. prælectæ Anno 1556. editæ au-*  
*tem VVittebergæ 1559.*  
*sic habet.*

¶ Ed redeo ad initium tertij capit. Argumentum præponitur cōcio- ni, De bonis operibus, usitatum Pau- lo, ductum à causa & effectibus. Vetus natura est mortua in conuersis: Ergo non sit efficax. Viuit autem in vo- bis Christus: Ergo sit efficax. Et in- ferta est occupatio. Cur dicis nos resuscitatos esse cum Christo, cùm ta- men

men adhuc simus subiecti morti, in-  
 gentibus ærumnis, horribili luctæ cū  
 peccato, paucoribus, & dubitationi-  
 bus? Ad hāc obiectionem respondet:  
 Vita vestra abscondita est cum Chri-  
 sto in Dēo, id est, ētsi inchoata est vita,  
 tamen nondum gloria Ecclesiæ con-  
 spicitur: conspicienda tunc, cūm Do-  
 minus rursus apparebit. Nunc habe-  
 mus initia quæ adhuc tecta sunt mor-  
 te corporis, reliquijs peccati, & ma-  
 gnis ærumnis: sicut inquit Rom. 8. Si  
 Christus est in vobis, corpus mortuū  
 est propter peccatum, Spiritus autem  
 vita est propter iustitiam. Hīc multæ  
 insignes materiae continentur: decla-  
 ratio articulorum Symboli: Ascen-  
 dit in cœlos: sedet ad dexterā Dei Pa-  
 tri, &c. Itē, quæ sint proprietates glo-  
 rificati corporis. Iteni, quomodo di-  
 catur: Christus est in vobis: Christus  
 est vita vestra. Ac primū de dicto: A-  
 scendit in cœlum. Quomodo hāc cō-  
 gruunt? Alibi dicitur: Filius, qui est in  
 sinu Patris. Item, Ioan. 3. Filius homi-  
 nis, qui est in cœlo. Respondeo: In  
 symbolo

symbolo intelligatur dictū ut sonat  
 litera, & de corpore, & de corporalilo  
 eatione! Ascendit, scilicet corporali  
 & physical locatione: In cœlum, id est,  
 in locum cœlestem, ubiq; est: quia  
 h̄c nō sunt fingenda allegoriae. Ascē-  
 sio sit visibilis & corporalis: & semper  
 ita scripsit tota Antiquitas, Christum  
 corporali locatione in aliquo loco  
 esse, ubique vult. Et ascensio cor-  
 poralis facta est sursum: ideo Paulus  
 in hoc capite locum illum nominat,  
 sursum. At in Propositione: Filius,  
 qui est in cœlo, dictum intelligatur  
 cōmunicatione Idiomatum: ἀνθρώπος  
 semper est in cœlo, etiamsi corporali  
 locatione corpus est in virgine. Hæc  
 narratio expressa est in enarratione  
 Symboli, quæ legitur in libris Cyptia-  
 ni, et si alibi inscriptio est: Enarratio  
 Ruffini. Ascendit ad cœlos, non ubi  
 verbum Deus antea non fuerat: quip-  
 pe qui erat semper in cœlo, & mane-  
 bat cum Patre: sed ubi Verbum caro  
 factum antea non sedebat, id est, ubi  
 corpus antea non habuerat corpora-

lem locationem. Sic Augustinus lo-  
quitur, & citantur verba in Longobat-  
do lib. 3. distinct. 22. Non dimisit Patrē  
Christus, cūm venit infirmior: vbi que-  
totus, vbi que perfectus. Deinde addi-  
tur forma sermonis: Vbiq; totus est,  
sed non totum. Alij concinniūs locu-  
ti sunt, Propositio vera est, communi-  
catione Idiomatum: Christus vbi que  
est. Athanasius sic loquitur de incar-  
natione verbi: λόγος non colligatus  
est corpori, sed ipse corpus continet,  
vt & in eo sit, & extra omnia, & in sinu  
Patris: neque cūm sit in omnibus, sit  
pars aliorum, sed omnia vitam, susten-  
tationemq; ab ipso accipiunt. Ut au-  
tem de locali ascensione naturæ hu-  
manæ dictum est, Ascendit ad cœlos:  
ita de exaltatione naturæ humanæ su-  
per omnes creature, dictum est: Se-  
det ad dexteram Patris: vt hīc Paulus  
inquit. Vbi est ad dextram Dei sedēs?  
Ait Christum sursum esse, & quidem  
ad dexteram Dei, id est, non vt beati  
Angeli & homines sursum sunt: sed  
exaltatus supra Angelos in illa arca-  
na

naluce Dei, regnans cum Patre: & tam  
men corpus localiter alicubi est, se-  
cundum veri corporis modū, ut Au-  
gustinus inquit. Et hæ propositiones:  
Christus in vobis est: Ego in eis: Venie  
mus ad eum, & māsionem apud eum  
faciemus, &c. intelligantur cōmu-  
nicatione Idiomatum. Et de hac prēsen-  
tia Filij in prædicatione Euangelij, &  
in sanctis, necesse est Ecclesiam fidelí-  
ter erudiri, vt agnoscamus Dominum  
nostrum Iesum Christū adesse Eccle-  
siæ, & esse caput omnia in omnibus  
perficiens.

IDEM D. PHILIPPVS IN  
Commentario in Cap. 10. prio-  
ris Epistolæ Pauli ad  
Corinthios.

*Calix benedictionis, quem benedi-  
cimus, &c.*

**M**anifestum est, loqui Paulū de  
Cœna Domini. Est igitur calix  
benedictionis, calix, quo sumitursan-

Aa 2. guis

guis Christi: sicut sonant verba de institutione Cœnæ apud Matthæum, Marçum, Lucam, & infrà cap. II.

Nominat autem calicem benedictionis, & addit, Quem benedicimus: ut discernat hunc calicem à profano potu, qui hauritur sitis causa, cùm hic potus hauriatur non propter corporis nostri rigationem, sed ut sit cōmōnefactio de sanguine Christi pro nobis effuso.

Hæc vt planiūs intelligantur, consideretur usus vocabuli Benedicere, q̄ aut significat gratias agere, ut cùm dicitur Psalmo 33. Benedicam Domino omni tempore. Et David 1. Reg. 25. Benedictus Dominus Deus Israël, qui misit te hodie in occursum mihi. Aut significat bona precari: aut cùm Deus benedicit, significat benefacere, quia Deus dicendo efficit, vt Genes. 48. scriptum est: Benedixit Iacob filijs, id est, bene precatus est. Et postea in eodem loco: Benedicat Deus pueris istijs, id est. dicendo benefaciat eis, det eis bona. Item: Benedictio Domini diuites facit,

facit, id est, Deus bona dicēdo auget,  
& custodit facultates.

Hæ sunt præcipuæ significations  
verbi Benedicere , quarum exempla  
vbique obvia sunt: & in lectione pru-  
denter iudicandū est, quæ sit simplex  
& nativa significatio.

Promiscuè autem usurpata sunt in  
Matthæo & Marco de Cœna Domini  
verba ἐυλογής & εὐχαριστίας. Et verbū  
εὐχαριστίας ostendit, Dominum velle  
in Cœna fieri gratiarum actionē. Ita-  
que simplicissima erit enarratio: Ca-  
lix benedictionis, id est, calix gratiarū  
actionis, ex quo bibentes agamus gra-  
tias Deo, & Domino nostro Iesu Chri-  
sto, quod sanguine Christi redempti-  
simus, id est, agnoscamus & celebre-  
mus hoc beneficium, & vera fide sta-  
tuamus, nos recipi, & pro immēta mi-  
sericordia & mirando consilio redem-  
ptionis reuerenter agamus gratias, &  
sit vera gratitudo, qua corda se Deo  
subiçiant, & verè cūm inuocent. Ca-  
teras interpretationes omitto.

Ita quod sequitur: Quem benedieb-

Aa 3 mus,

mus, id est, apud quem dicimus verba tradita à Domino: item gratiarum actionem & precationem: quæ omnia simul sunt ritus discernens hanc cœnam à profana cœna, quæ pascit corpus nostrum. Nam hæc cœna non est ad hūc Physicum usum instituta, sed habet alium finem.

Visitata est alijs interpretatio, quæ benedicimus, id est, quem consecramus.

Hæc interpretatio dextrè intellexit, nō vituperāda est. Consecramus, id est, addimus sacra verba & gratiarū actionē, ne sit unus profanus seu physicus, sed sit consolatio animæ. Sed Sacrificuli dicunt, consecramus, id est, facimus virtute verborum mutationem substantiæ.

Adest autē Christus suo Sacramento, non quia sacerdos faciat ibi mutationem, aut quia sit vis in verbis mutans res: sed quia liberrimè vult adesse ritui quem instituit, sicut Spiritus sanctus liberrimè adest in baptisando.

οὐχὶ κοινωνία τῷ Χριστῷ τῷ χρι-

σού δέημε.

**I**d est, est illa res externa visibilis,  
qua sanguis Domini nobis exhibetur.

Sic panis quem frangimus, est illa  
res externa visibilis, qua efficimur so-  
ei & membra corporis Christi, sicut  
dicitur: Euangelium est potētia Dei,  
id est, illa res seu instrumentum, quo  
Deus est efficax. Recentior ætas Mo-  
nachorum finxit transsubstantiatio-  
nem, quam ita nouo nomine nuncu-  
parunt, de qua priusquam dico, quæ-  
dam de ratione Sacramentorum di-  
cenda sunt.

Exordiar autem à primo initio.

Ecclesia Dei colligitur voce pro-  
missionis inde usque ab initio, mox  
post editam primam prōmissionem,  
qua recepti sunt Adam & Eua: ac sem-  
per addidit prōmissioni Deus æterna  
signa. Ac de signis ante diluvium nō  
multa scripta sunt: sed tamen signum  
erat ipsa agni inflammatio.

Deinde cum promissio renouata  
est, & restricta ad posteritatem Abra-  
hae, additum est signum, scilicet Cir-  
cumcisio. Et deinceps in ceremonijs  
Leuiticis multa signa fuerunt, macta-  
tio agni Paschatos. Et postremo post  
aduentum Messiae, Baptismus & Cœ-  
na Domini.

Ita Ecclesia semper voce promissio-  
nis & Sacramentis constituta est, & à  
ceteris gentibus distincta: & Pères  
& Prophetæ, & eorum auditores pīj &  
eruditi intellexerunt doctrinam de  
promissione gratiæ, & de fide, & vero  
vsi signorum. Sed magna multitudo  
semper omnibus æstatibus obliterata est  
doctrinæ de promissione, & de iusti-  
tia fidei, & signorum usum multis mo-  
dis deprauauit.

Alij signa verterunt in numina seu  
Deos, ut Chaldaeï & Persæ, ignem fin-  
ixerunt esse ipsum Deum: quia audie-  
rant igni delapso ex cœlo incensas ci-  
se victimas.

Alij finixerunt ritus esse opera, qua-  
m ererentur remissioni peccatorū.  
Ethac

Et hac opinione cumularunt illa opera, & non solum nouas ceremonias, sed etiam noua numina, & nouos deos excogitauerunt. Sic Pharisæi putabant se mereri remissionem suis sacrificijs, & iubebant populum sape facere mactationes, ut hoc modo peccata delerentur.

Hi errores vagati sunt in genere humano omnibus æstatibus. Ita circumferunt Papistæ panem, & affirmat esse Deum. Et de Missa, de monasticis ritibus dixerunt, hęc opera mereri remissionem peccatorum. Et populus hac persuasione fascinatus, magna pecunia cumulari tales ceremonias curauit.

Hos tetros errores necesse est in Ecclesia taxari. Et videmus Prophetas grauissimis & asperrimis cōcionibus hos furores damnare, ut Psal. 49. Non in sacrificijs tuis arguam te. Et Esaiæ 1. Et Iere. 7. Nō præcepi de holocaustis: ubi certè Iudæis videbatur Propheta expressè pugnare cum Legi. Et Oseæ 6. Misericordiam volo, non sacrificiū:

& agnitionem Dei magis, quam holocausta.

Deniq; passim in Prophetis obuiz sunt tales conciones. Hæc verò loca tantum cè indicaui, vt illa vetera certamina iuniores considerent, & agnoscant similia esse præsentium.

Reiectis verò abusibus, extet in Ecclesia doctrina pura & integra de iustitia fidei: quod homo accipiat remissionem peccatorum, & reputetur iustus Fide propter filium Dei GRATIS, non propter propriam dignitatem, opera, aut virtutes.

Deinde sciendum est, duos esse portiores fines Sacramentorum. Alter est, vt sint signa promissionis: alter, vt sint signa confessionis, & distinguant Ecclesiam Dei à cæteris gentibus. Vt Circumcisio primùm erat signū promissionis. Nam promissio facit mentionem seminis. Igitur in ea parte sanguinem institutum est.

Atque ita testimonium est de voluntate Dei erga nos, sicut ipsa promissio.

missio. Et rectè inquit Augustinus: Sacramentum est verbum visibile, id est, idem monet quod promissio: sed incurrit in oculos, cùm promissio accipienda sit auribus, & mens intuens signum, commonefiat de voluntate Dei erga nos, hoc est, de promissione, & statuat, se iuxta promissionem receptum esse. Et nitatur fides ipso Mediatore, non hoc opere, aut s. gno.

Addidit autem Deus talia signa promissionibus, vt firmior & durabilior memoria esset promissionū: quia spectacula in currentia in oculos magis mouēt animos, & facilius retinentur, quād nuda dicta.

Alter finis est, vt sint signa confessionis & distinctionis Ecclesiar. Sed hic finis nec primus, nec solus esse ducatur: vt Anabaptistæ fingeant, Baptismum tantum fuisse ritum inventum, vt discerneret Ecclesiam ab alijs hominibus. Imò prior finis est, vt sit signum voluntatis Dei erga nos, videlicet promissionis: monet certò

certò nos mergi in mortem filij Dei,  
& propter eum ac per eum ablui pec-  
cata nostra.

Deinde accedunt alij fines. Et qua-  
dam signa propriè sunt nerui publi-  
corum congressuum, quia semper Deus  
voluit exandiri vocē Euangelij in ge-  
nere humano: ac ppter ea ut latè spati-  
gi vox Euangelij posset, voluit audiri  
& conspici Ecclesiam, & honestos cō-  
gressus publicos doctrinæ propagan-  
dæ causa instituit, & hos immēntia bo-  
nitate omnibus æratibus seruat, frē-  
mentibus Diabolis. Et ut tales congre-  
gationes fierent maiore grauitate, ce-  
remonias addidit, tanquam ritus Pa-  
negyricos, quæ essent vincula & nerui  
illorum congressuum.

Hæ grauissimæ & verissimæ cause  
rituum publicorū considerentur, &  
procul remoueantur imaginationes,  
quæ fingunt idola & meritum.

Deinde & hæc sententia verissima  
tencatur, Nihil habere rationē Sacra-  
menti extra viam institutum: quia Sa-  
cramenta sunt actiones in Ecclesia or-  
dinatæ

dinat & certo modo. Cūm ritus mutatur, aut extra institutū ordinē transfertur ad alios usus, non est Sacramentum, sed actio superstitiosa, aut idolū: ut si Baptisatio fieret ad tollendam leprā, talis mersio nō esset sacramentum: sicut Circumcisio Iudaeorū hoc tempore, nec Mahometica circumcisio ullo modo rationem habet Sacramenti.

Ita panis, qui circumgestatur, nullo modo rationem habet Sacramenti, & adoratio prorsus est Idoli adoratio: sicut adoratio ignis Chaldaici aut Persici, quem fingebant esse Deū, & nominabant Orimasda, id est, sacrū lumen. Sic & in Papistica oblatione adoratio est Idoli adoratio, quia cultus ille extra institutionem confictus est. Hanc tam tetram profanationem & Idolomaniam cūm piæ mentes cogitant, non possunt non horribiliter dolere. Et valde consentaneum est, Danieli de hoc ipso Idolo loqui, cūm inquit: Colet Deum Maozim auro & argento. Nec nomen Maozim procul

procul abest à nomine Missa , quod nomen etiam affine est nomini Mazon, quod cibum significat. Sed filium Dei Dominum nostrum Iesum Christū, assiduis gemitibus oremus, ut propter suam gloriam omnia Ioda & omnes errores ex Ecclesia tollat, & in mentibus nostris veram inuocationem accendat.

Remotis igitur abusibus, dicamus devero vſu.

Actio recitatur à Matthæo, Marco, Luca, & Paulo, quæ sic fiat, sicut ibi describitur. Et sit primus finis, ut hæc sumptio sit nobis tanquam pignus, quo confirmati credamus verè nos esse & fieri membra filij Dei, & ablutos esse sanguine filij Dei. Atque ita statuamus, nobis certissimè dari remissionem peccatorum, non propter hanc sumptionem, sed propter filium Dei: qui fuit victima pro nobis, & nunc regnat, colligit, & sanctificat Ecclesiam. Ita fit applicatio beneficiorum Christi propria fide, & sumptione propria, non aliena oblatione

latione sacerdotis: quia manifestum est, institutam esse sumptionem singularum, sicut dicitur: Accipite, man ducate. Nec existimetur hoc spectacu lum esse simile Tragoediæ Herculis aut Thesei, vt profani homines imaginantur, vbi mortuorum & absentium recordatio fit: sed vivit filius Dei & regnat, & vult adesse Sacramento in hoc vsu instituto, & nos sibi tanquam membra copulat, & sine ulla dubitatione ibi efficax est in ijs, qui fide sumunt, & hac consolatione se sustentant.

Postea sunt alij fines huius totius actionis.

Primus ille est, quem dixi, vt fides exuscitur, applicans nobis beneficia: sicut Abraham cogitatione circumcisionis exuscitabat fidem, lætabatur promissione seminis.

Secundus, gratiarum actio, quia beneficij recordatio simul accendere gratitudinem debet. Hinc est usitata appellatio εὐχαριστία. Et Cyprianus complectitur utrumque finem, affirmat acci-

**a**ccipienda esse beneficia Christi, & vicissim agēdas esse gratias: pietas inter data & condonata tanti beneficij largitori gratias agit.

Tertius finis est, vt sit nervus publicæ congregationis, in qua vult Deus sonare & conseruari vocem ministri Euangelici. Ideo dicit: Quotiescumque facietis mortem Domini anniunciatib[us]. Ac semper voluit Deus honestos & publicos Ecclesiæ congregatus esse, & eos sua bonitate conseruat & tuetur.

Quartus finis, vt in publico cōgredi sit testimonium confessionis: quia vult Deus per hanc sumptionem conspicere, quam doctrinam, quos cœtus approbemus.

Quintus finis, vt sit mutuæ dilectionis, & quasi foederis signum: sicut ultatissimum fuit sancire foedera simul edendo in sacrificijs.

Sed prudēter discernendi sunt tot fines, ac semper principalis retinendus est, ne depravetur usus Ceremonia.

**E**X EODE M COMMEN-

tatio in caput unde-

cimum.

χαριν ἀπὸ μῶμον τῇ ἐκκλησίᾳ.

χίσματα σὺ μὲν πάρεχε,

Conuenientibus vobis in Ecclesia, au-

dio schismata inter vos esse.

**D**ictum est supra, Deum velle, ut  
fiant honesti congressus publici-  
cè, in quibus sonet vox Euangelij, &  
neruum nostrorum congressum es-  
se cœnam Domini: quia vult Deus Ec-  
clesiam conspici & audiri, ut Filius in  
toto genere humano agnoscatur, &  
nota sint beneficia, quæ propter Filiū  
generi humano donantur. Hos igitur  
publicos congressus hīc ordinat Pau-  
lus. Et quomodo eos ordinet, & quo-  
modo discesserit ab hac forma Pauli  
recentior ètas, postea dicemus.

Priùs admonèndus est Lector de  
hoc dicto: Oportet hæreses esse. Nota  
sit doctrina ex alijs manifestissimis te-

Bb stimo-

stimonijs, Deum non esse causam peccati, nec velle, nec approbare, nec efficer, nec adiuuare peccata, iuxta il-  
lud: Deus non volens impietatem ru-  
es. Nec in Deo sunt cōtradictoriæ vo-  
luntates, quia verax est. Et Ioan. 8. dicitur:  
Cūm mendaciū loquitur, ex pro-  
prijs loquitur.

Ex his fundamentis, quæ sunt ve-  
rissima & firmissima, sumatur inter-  
pretatio dicti: Oportet hæreses esse.  
Nequaquā enim intelligenda est ne-  
cessitas aliter, nisi de necessitate con-  
sequentiae, scilicet, quia cūm Diabo,  
Ius ardens odio filij Dei, non desinat  
turbare Ecclesias, & leuia ingenia faci-  
lē impellat, non cessant causæ horribi-  
lium dissidiorum. Ita sequitur, vt mul-  
tæ oriuntur hæreses, etiam si Deus ve-  
rè his furoribus irascitur, & nequaquā  
necessitatem volūtates humanas eis im-  
plicari. Sed pij inuocantes Deum, &  
veritatem quærentes, possunt eas vi-  
tare, sicut hīc quoque significat Pau-  
lus discrimina voluntatum esse: Tali-  
bus signis, inquit, discernuntur since-  
ria

Nā fūcatis. Sincera mant veritatem,  
& constanter eam retinēt. Alij leues,  
aut ambitiosi, aut auari facile impel-  
lūtur, vt noua dogmata amplectātur.  
Hac vera admonitione de dicto  
Pauli, hoc loco contenti simus. Nunc  
videamus, quomodo Cœnam Domi-  
ni ordinet.

Primum vult esse communē, & pro-  
hibet particulares coenas in uno lo-  
go. Fuit igitur una communis cœna,  
& non vnius oblatio. Quare hoc testi-  
monio improbari consuetudinē pri-  
matæ Missæ postea natam, manifestū  
est. Postea vult addi concionem, ideo  
inquit: Quoties editis panem hunc,  
& hoc poculum bibitis, mortem Do-  
mini annunciate. Tertio vult omnes adferre prenitē  
tiam, & prohibet mādicationem sic-  
tab ijs, qui perseverant in delictis cō-  
tra conscientiam, ideo inquit: Qui in-  
dignè manducat, reus est corporis &  
sanguinis Domini. Itē: Probet homo  
scipsum, & sic de pane manducet, &  
de poculo bibat. Cūm enim hæc cœ-  
na

na nominetur, & sit ritus noui Testa-  
menti id est, nouæ promissionis obli-  
gnatæ morte filij Dei, & sit testimoni-  
um remissionis peccatorum, nec re-  
mittantur peccata perseveranti in de-  
lictis contra conscientiam, & contem-  
nenti remissionem: manifestum est,  
cōtemni hoc testimonium remissio-  
nis à talibus.

Itaque sciant bonæ mentes, quid  
sit indignè manducare, & qualis ex-  
ploratio requiratur.

Digne manducat, qui mortem filii  
Dei cogitans, agnoscit iram Dei ad-  
uersus nostra peccata, & agit pœnitè-  
tiam, & simul agnoscit placatam esse  
iram Dei, & remitti peccata proper-  
Filiū: & hanc mirandam promissio-  
nem Dei esse nouum Testamentum,  
confirmatum morte filij Dei, & hac  
consolatione erexit, credit se recipi,  
& placere Deo, & hunc ritum statuit  
testimonium esse huius beneficij di-  
uini.

Requiritur ergo & hæc scrutatio,  
An sit in nobis malum propositum,

an sit poenitentia, an sit fides, qua remittit nobis peccata nostra statuam<sup>9</sup>, & an hac consolatione erecti ad Mediatorem accedamus.

Cæterum, nota sit doctrina communis, quæ peccata sint in sanctis in hac vita, quæ non sint. Non sic intelligatur dignitas, quod nulla sint in nobis peccata, sed quod oporteat deponi peccata contra conscientiam.

Quarto poena consideretur. Manifestè hic dicit Paulus, multos ægrotare, & multos mortuos esse propter abusum cœnæ. Ergo etiam in sanctis punitur negligentia. Multò magis vero punientur præsentibus & æternis poenis omnes illi, qui cœnam Domini verterunt in horrendum cultum Idolorum, & qui quæstus causa finixerunt sacrificium pro viuis & mortuis. Horum maximorum scelerum magnitudo conspicietur post hanc vitam. Et ibi agnoscemus, hæc sclera multarum calamitatum in hac vita causas fuisse. Oramus autem ardentibus gemitibus filium Dei, vt ipse his magnis

vulnibus Ecclesia medecatur. Nunc  
verba consideremus.

In textu est: Quod pro vobis frangi  
tur. In narratione apud Lucam scrip  
tum est: Quod pro vobis datur, id  
est, quod est victimā pro genere hu  
mano. Ideo & hīc alij interpretantur  
frangitur, pro laceratur. Id non repr  
hendo: sed simplicius videtur, fractio  
nem intelligendam esse, distributio  
nem, sicut Ebræi loquuntur: Frang  
esurienti panem tuum. Et hoc verbu  
Paulo in mentem venit propter mo  
rem distributionis, præsertim cum ue  
lit esse cœnam communem.

Τὸν πτήσιον τὸν νοῦν Διαθήκης πε

*Hic est Calix, qui est nouum Testa  
mentum in meo sanguine.*

**H**AEC narratio apud Lucam iisdē  
verbis posita est, sed addita sunt  
hæc verba: Qui pro vobis effunditur.  
Syntaxis apud Matthæum & Marcum  
alia est: Hic est sanguis meus noui Te  
stamenti.

stamenti. Nec subtiliter quærenda est differentia. Eodem modo vtraque lectio intelligenda est: Hic est calix noui Testamenti, id est, ritus & pignus, seu sigillum noui Testamenti. Nam Testamentum principaliter & propriè significat ipsam promissionē remissionis peccatorum, Spiritus sancti, iustitiae, & vitæ aeternæ. Deinde hæc beneficia sunt tres donatae hoc Testamento, id est, hac promissione. Et accedunt exteti ritus, qui sunt huius promissionis signa & pignora: Baptismus & Cœna Domini. Ideo Matthæus dixit: Hic est sanguis meus noui Testamenti.

Cum autem Lucas & Paulus dicant: Hic est calix nouum Testamen-  
tum, ~~per~~ <sup>et</sup> ~~terram~~ <sup>corinfiac</sup> est, ut si dicam: Fasces  
sunt imperium Romanum. Hac bre-  
vi admonitione de syntaxi hoc loco  
contenti simus.

Deinde valde necessaria est consideratio, cur hie expressè facta sit mentio noui Testamenti, & quidem in ea narratione, vbi fit mentio sanguinis. Testamentum est promissio mori-

furi: ideo usurpata est hæc vox de promissione filij Dei donantis sua beneficia, ut significaretur ventura mors, sicut ad Ebræos scriptum est. Addita est igitur hæc particula diserte huic narrationi, quæ de fundendo sanguine loquitur. Et opponendi sunt typi sanguinis victimarum in veteri Testamento, qui omnes fuerunt signa huius futuræ mortis.

Iam & antithesis consideranda est veteris & noui Testamenti. Vetus Testamentum est promissio politiæ, cum obligatione ad seruandam legem per Moysen traditam, quæ politia constituta est, ut in ea conservaretur promissio de Messia, & ibi Messias exhibetur, propter quæ & semper ibi aliqua electorum Ecclesia fuit.

Sed nouum Testamentum est promissio bonorum æternorum, remissionis peccatorum, Spiritus sancti, iustitiae & vitæ æternæ, quæ propter Melchiam gratis exhibentur, non propter legem.

Affirmat igitur Dominus, iam hæc bona

bona exhiberi, & hunc calicem huius exhibitionis pignus esse. Magna igitur consolatio vniuersæ Ecclesiæ proponitur. Exhibito hoc calice, scias certò exhiberi bona æterna, propter sanguinē filij Dei effusum in ipsius morte. Nec opus vlliūs hominis meretur illa æterna bona legata propter Filij mortem. Non igitur hic ritus sacrificium est, quod mereatur facienti & alijs hæc bona: sed testatur ea exhiberi, & fide ea accipi oportet, quæ nituntur ipsius filij Dei sacrificio, nō vlliūs nostris meritis.

Hæc amplissima doctrina comprehensa est in hac appellatione noui Testamenti, quam hæc integrum complecti nō possumus: tantum breuiter admoneo, huius doctrinæ fontes requiringendos esse, quoties de cœna Domini cogitamus, & quoties ad eam accedimus.

Manifesta refutatio est Sacrificulorum & Anabaptistarum. Cùm sit ritus nouæ promissionis, quæ est gratuita: non est sacrificium, quod alijs mereantur.

390

rur. Item, cùm sit ritus Testamenti, nobis exhiberi legata à Filio testatur, & pignus est voluntatis Dei erga nos: non tantùm est ceremonia mutuæ dilectionis inter conuiuas, vt Anabapti stæ dicunt.

Est & hæc particula insignis, quod  
hunc ritum seruari iubet, donec Christus  
venerit. Hæc verba sunt perspicuum  
testimonium, Deum semper in  
hac vita usq; ad resuscitationem mor-  
tuorum seruaturum esse Ecclesiam,  
publicum ministerium Sacramento-  
rum, publicos congressus, & aliqua  
Ecclesiarum hospitia. Hæ dulces con-  
solationes in hac breui particula con-  
tinentur.

Ενοχθεσα τωσώματθησι  
δικατθ.

*Reus erit corporis & sanguinis.*

**M**agnitudinem peccati in abu-  
ſu cœnæ Domini describit, cū  
aīt, abutentes r̄cos esse corporis & san-  
guinis,

gaints, id est, contumelia afficere cor  
 pus & sanguinem Domini, sicut latro  
 nes crucifigentes Dominum, contu-  
 melia eum afficiebat. Et gradus sunt,  
 Contumeliae sunt, cum profani acci-  
 piunt propter consuetudinem, sine  
 pœnitentia, & sine fide petente remis-  
 sione. Sed maiores contumeliae sunt,  
 cum fingitur usus esse sacrificium, quod  
 mercatur alijs. Item, cum confertur  
 in quaestu, & mutatur in idolum. Pro-  
 pter hec horrenda peccata, multis in-  
 gentibus calamitatibus, bellis & vasta-  
 tionibus tote gentes puniuntur, & hi  
 qui non agunt pœnitentiam, oppri-  
 mentur aeternis pœnis. Oremus autem  
 filium Dei, Dominum nostrum Iesum  
 Christum, ut Ecclesiam suam libereat  
 ab omnibus erroribus & idolis, & lau-  
 meh veritatis, veram inuocatio-  
 nem & veros cultus  
 accendat.

**EX**

*EX LIBRO SECVNDO E.  
pistolarum Philippi Melanchthonis,  
edito VVittebergæ, Anno  
1570.*

*D. IONNNI MATH-  
E-  
SIO, b. S., D.*

**V**Elut in sentinam, ita in loca ve-  
narum metallicarum semper ex-  
varijs Gentibus homines confluunt,  
imburi diuersis opinionibus, & ma-  
gna ingeniorum ac iudiciorum varie-  
tate predditi, quorum multi etiam cu-  
riosi & fallaces sunt. In tali coetu ali-  
qua tamen est Ecclesia: huic coetu ser-  
uiendum est, & tamen interim cauen-  
dum quantum fieri potest, ne curio-  
sis, malevolis & petulantibus praebea-  
mus occasiones subsannanda doctrinæ.  
Primùm igitur videndum tibi cen-  
seo, an collegas habeas consentientes  
de mutando ritu in cœna Domini: si  
vñus aut plures dissentiant, non cen-  
seo tentandam esse mutationē. Pror-  
sus etiam in concionibus huius nc-  
gotij

gotij nullam mentionē in villam partem fieri velim. Scio esse magnas & iustissimas causas abrogandæ eleuacionis, sed consensu Collegarum tibi opus est. Nam alij alias causas dicent, suipicabuntur, fingent, ut est hæc etas Tuspicax & amans calumniarum. Nec facilè credas collegis, nisi bene explorata eorum volūtate. Sum ipse experitus multos, cùm vident iudicia vulgi non respondere ijs consilijs quæ insti tuunt, postea simulant se inuitos ad ea negotia pertractos esse, & odia in alios deriuat. Quare prius censeo explorandas esse voluntates Collegatū. Causæ verò allegari in familiaribus colloquijs hæc duæ possunt, nām in cōcionibus nolo quicquam hac de re dici.

Primum, cùm Monachi fingant fieri oblationē pro viuis & mortuis, hoc ritus eleuationis, eos moueri. Ut igitur tollatur error, nec putet populus sacerdotis eleuationem valere pro alijs, mutandum esse morem dices. Secundo, eleuatione cōfirmari cirkumge-

cum gestationem, quæ sine vlla dubitatione est idolomania. Nam Deus non est ad vllam rem alligandus, ubi se suo verbo non alligat, vt non est alligandus ad statuas. Non autem alligat se Christus ad panem, sed ad actionem in vsu Sacramenti. Nec adest propter panem, sed propter sumentem. O horrendas tenebras, quas Pontifices, reges, principes, Monachi in Ecclesia defendunt, quas vtinam Christus aduentu suo citò depellat. Turcica arma puniunt hanc profanationē cœnæ Domini, tot iam seculis habentem in Ecclesia. Bene vale.

**A**Ccepi tuam Epistolam, in qua narras formam verborum, quæ Collegatus vesus est de Cœna Domini. Nolo inter vos ferere discordias sicut certamina, sed etiam auditorum iterationem habere volo. Legi ea quæ antea ad D.D. Crucigerum de contentione anni superioris scripsisti, quæ sunt.

fuit cūm illo, qui à Bucero attulit de-  
 clarationem: His rixis ne des occasio-  
 nēm: consulo, vt sis contentus ea simi-  
 plicitate verborum, qua ego sum usus  
 in editione recenti Germanica loco-  
 rum cōmunitum. Et arbitror te si lege-  
 ris & expenderis, intellecturū me gra-  
 uem caussam habuisse mēi cōsiliij, cur  
 illa absurdā vitēm, quā multi præter  
 rē, magno studio populo proponūt.  
 Certè imaginatio tota de transsubstā-  
 tiatione, de conclusione corporis du-  
 rabili cūm pane, vt fornaci ligna in-  
 cluduntur, commentitia est. Longè  
 est alia rat̄o sacramentorum, vt in i-  
 pfa actione Spiritus sanctus adest Ba-  
 ptismo, & est efficax in baptisato: sic  
 cūm sumitur cōfēna, adest Christus vt  
 sit efficax. Nec adest propter panem,  
 sed propter sumentem. Hic iam de fi-  
 de dici necesse est & de usu sacra-  
 menti, vt in recenti editione locorum ad-  
 monui copiosius. Vtrunq; facies, ca-  
 uebis ne videaris notare collegam, vt  
 audio, alioqui suspicacē, & ne irrites  
 auditores. Habeo causam mēi cōsiliij.

De

De vſu & vtilitate dicio copiosius, &  
retine hanc formam verborum, quod  
Christus hoc testimonio: Mit diſem  
zeugnſi macht er vns seine gliedmaſ/vn  
bezeuget das wir seine gliedmaſ sein.  
De tota hac re cuperem i tecum loqui  
coram, & si expertis meum colloquiū  
copiosum de hac re, significes mihi te  
venturū Lipsiam ad Nundinās Maij  
Bene vale, die 25. Febr.

E I D E M S. D.

I Am proficisci iubor ad littus Bal-  
ticum, quo rex Danicus venit, & Sy-  
nodus indicitur, in qua ὁ πρίεται τύπος κυ-  
ριακῆ certamina erunt. Accusatūr qui-  
dam eò quod effudētīt vīnum. Orem  
misericordi. Vestphalus me accusat,  
quod scripsi, nihil haberē rationē Sa-  
cramenti extra vsum institutum. Hac  
regula sublata, confirmatio magnōtū  
scelerum Papisticorum sequitur. Nō  
recuso de tota hac controuersia non  
difficili meam sententiam dicere in-  
ter eruditos & pios, & te velim, si erit  
eruditorum deliberatio, interesse.

D. Joanni

D. IOANNI BAPTISTÆ  
*Hencelio, Consuli Augustano, Patro-  
 no suo colendo S. D.*

**C**larissime vir, & amice colende,  
 sæpe cum Albim tumefactum &  
 spumantem inspicio, gemēs cogito,  
 non si tantum lachrymarum fundere  
 possem, quantū hic fluuius voluit vi-  
 darum, exhaudiri posse meum dolo-  
 rem, quem iam annos triginta circū-  
 fero propter dissidiū ῥωπὶ ἀρπλα ἔτιας,  
 ac sæpe optauī & adhuc opto, ut de re  
 tanta fiat aliquando placida piorum  
 & eruditorum collocutio. Nō potest  
 tolli dissidium generalibus verbis: &  
 vtile esset explicari doctrinā ῥητί λόγου,  
 de filij Dei præsentia in Ecclesia, & de  
 naturarum proprietatibus. De his tā-  
 tis rebus fortassis aliquādo copiosius  
 dicam. Suggillat me Thersites Ratis-  
 bonensis, qui si traxerit me ad hoc cer-  
 tamen, dicam Deo iuuante, pia & per-  
 spicua. Quid vetus Ecclesia senserit,  
 manifestum est. Legi vestræ Ecclesiæ  
 titus, nec offendor reprehensione lo-

Cc calis

calis inclusionis in pane: sed quia longa declaratio in praefatione apud suspicaces plus sermonū præbebbit, scripsi aliam formam praefationis, quæ si magis placet, uti ea potestis. Nō ostendi alijs vestrum scriptū, quia partim probaturi erant meum iudicium, partim suspiciosius interpretaturi erant vestra verba. Ego quo utar modo loquendi, ostendit cōfessio scripta propter Tridentinā Synodum, & approbata à multis. Eius confessionis exemplum tibi mitto, quod inspicere potestis. Vale.

### E I D E M S. D.

**S**Cripsī Guilielmo me orare, ut collegae studeant tueri concordiam, & de cœna Domini formula concordia contenti sint, nec Papisticam <sup>& ḡm</sup> ~~λατεριανη~~ propugnent. O rem misera, de alijs maximis rebus doceri Ecclesiam necesse erat, cur Filius dicatur ~~λόγος~~, quomodo semper adfuerit & adsit Ecclesiæ, & tam alloquatur, & sci-

uet inter horrendos mundi furores,  
quod per eum Pater aeternus colligat  
Ecclesiam, quomodo facienda sit in-  
uocatio de his tantis rebus & saepius  
& perspicue dicendū erat, & haec prae-  
sentia illustranda erant, & accenden-  
da fides, ut ea intueretur in quotidja-  
na inuocatione. Interea quales dispu-  
tationes in Ecclesiā  $\tau\omega\beta\acute{\iota}\mu\epsilon\tau\alpha\sigma\omega\chi\epsilon\omega$   
 $\sigma\tau\omega\beta\acute{\iota}$  inuestigantur sunt? Sed Deum orovit  
nos gubernet.

D. G E O R G I O C R A C O -  
uio S. D.

**L**EGI decretum Abbatum Vvirte-  
bergēsum, nec possum quale sit,  
venustius significare, quam si dicam  
esse Hechingense latinum: cūm oppi-  
dum Hechingen in vicinia illorū Ab-  
batum situm sit. Existimo autem te se-  
pe audiuisse ex me recitatam historiā  
a duce Friderico de Hechingensi lati-  
no, quæ tamen si tibi ignota est: vt &  
Principi, & Doctori Mordifio, & tibi  
nota fieret, scripsi eam in pagella, quā

Cc 2 his

his literis addidi. Digna memoria est propter Gregoriū Lamparter, cuius sapientiam & eloquentiam s̄epe audiui prædicari, comitatem ipse exp̄tus sum. Illu strissimo Principi respondi breuiter, ne quid noui moliri videar, affirmo me proſus retinere formam verborum ante multos annos editam in examine ordinandorum, quod in multis gentib⁹ legitur: Papisticos verò & Methonæos, & Abbatum Vvirtebergicorū, & Vvestphali, Sacerij, & similiū, articulos in hac causa manifestè pugnare cum vetere puriore Ecclesia: meq; offero ad declamationem, & de hac causa, & de alijs, propter quas crudeliter laceror à multis hostilib⁹ exercitibus. Iam enim & Scurra Berlinensis nouum bellum mouet, quod Ecclesiam nomino cœtum visibilem, qua de re epistolam vobis mitto, quæ & alia exempla φόμτα μαργυρώ narrat, quæ aulam sciret vtile est. Videor mihi mediocriter philosophari, quod non respondeo omnibus sycophantis, ne maiora diſſidia

sidia oriantur, sed nimium irritor. Et multò antè discessissem ex his locis, nisi cogitassem fore maiores distractions. Et nō recuso discēdere quā docunq; volueritis. Te tamen virū doctum iudicem esse volo, an & recta & ytilia docuerim, cùm quidem inciderimus in magnam opinionum confusione. Oro autem filium Dei, vt nos omnes gubernet.

Silongior à me responsio προσημενος  
petitur, significabitis. Tempore enim opus est ad describenda vetera testimonia, & profectò inuitus περιπολης  
disputo, quia multa βέβαια turbant mentes in vera cogitatione. Bene vale, & rescribe.

D. CHRISTOPHORO  
Statimoni s. D.

Ibrum tuum προσημενος existimo me Hofero tradidisse. Dimicant de ea quæstione duæ bellissimæ gentes, Helvetica & Saxonica, & utrinq; res inuoluitur. Sæpe no-

Cc 3 stros

stros hortatus sum, ut colloquuntur  
 de forma certa verborum, qua nostri  
 omnes similiter vterentur. Osiander  
 hāc propositionem defendebat: Iste  
 Panis est Deus. Paulus inquit, Panis  
 est κοινωνία σώματος, de vsu loquens.  
 Sed omitto disputationem. Necve-  
 lim te illarum bellicosarum gentium  
 prælijs misceri. Ego quoque expecto  
 piorum & eruditorum colloquium,  
 vt vna similis forma inter nos  
 constituatur. Beneva-

Ie. 4. Iulij.

**F I N I S.**

HEIDELBERGAE,



Excudebat Ioannes Maier, Anno  
M. D. LXXV.

ЗАДАНИЯ

ЧИСЛОВЫЕ  
УЧАСТИЯ